



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Nicolai Mazzotta theologia moralis

omnem rem moralem absolutissime complectens

Mazzotta, Nicolò

Augustae Vindelicorum & Cracoviae, 1756

Tractatus V. Theologico-Moralis De Sacramentis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41004



TRACTATUS V.

Theologico-Moralis

DE

SACRAMENTIS.



PRÆSTANTISSIMA Catholicæ Religionis Myſteria, & præcipua Eccleſiæ à Chriſto domino ædificatæ fundamenta, Sacramenta videlicet novæ Legis ab ipſo Chriſto inſtituta hic explicare aggredimur: ea liquidem ſunt potiffima ad æternam nobis felicitatem comparandam media, quibus noſtræ reparationis pretium ſuperabundans, ſuæ nimirum Paſſionis, ac Mortis merita præclariffima, nobis abunde diſpartienda, atque approprianda humani generis Aſſertor contineri voluit. Porro ſex Diſputationes Tractatus hic complectetur. Prima erit de Sacramentis in genere: Sequentes quinque de quin-

R. P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III. A que

que Sacramentis in specie, nimirum de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, Extrema-Unctione, & Ordine; duobus enim reliquis Sacramentis, Pœnitentiæ scilicet, & Matrimonii duplex sequens Tractatus, unicuique suus dabitur.

DISPUTATIO I.

De Sacramentis in Genere.

TRES Quæstiones hic instituemus: I. erit de Quidditate, & efficacia Sacramentorum: II. de Causa efficiente: III. de Subjecto Sacramentorum.

QUÆSTIO I.

De Quidditate & Efficacia Sacramentorum.

EXPONEMUS hic I. Nomen, & Definitionem Sacramenti in genere: II. Agemus de Necessitate, Numero, & Ordine: III. de Materia, & Forma: IV. De Causalitate, & Effectibus Sacramentorum.

CAPUT I.

De Nomine, ac Definitione Sacramentorum.

Vox hæc *Sacramentum*, à *Sacro* ducta, aliter apud profanos, aliter apud Sacros, & Ecclesiasticos Scriptores usurpata reperitur. Apud primos significat, vel pecuniam, in loco sacro depositam, ut, qui in causa caderet, eam amitteret; ærario publico applicandam; vel juramentum, seu quod juramento firmatum est: in qua significatione usurpatur etiam in jure Canonico, & Civili. Apud secundos vero *Sacramentum* idem est, ac apud Græcos *Mysterium*, hoc est Sacrum secretum, ut constat ex Sacris literis, & videre est apud Doctores. Hinc verum factum est, ut *Sacramentum* vocentur res, & verba, occultum quid divinum, ac supernaturale, quo quis Deo sacratur, significantia: ita Bellarm. lib. 1.

de

de Sacram. cap. 8. Suar. Con. Laym. & alii. De Sacramento in hac posteriore significatione sumpto agendum hic erit.

Sic autem acceptum definitur communiter à Doctorebus post D. Th. 3. p. q. 60. a. 2. & 3. *Visibile signum gratiæ invisibilis ad populum Dei sanctificandum divinitus institutum.* Debet esse *Signum visibile*, hoc est corporis sensibus perceptibile; nam aliter non esset hominibus, ad quorum sanctificationem ordinatur, accommodatum. Est autem *Signum gratiæ invisibilis*, quia hæc corporis sensibus non percipitur. Demum est *Signum institutum ad populum Dei sanctificandum*, quia hominis sanctificatio est finis per se, & directe à Deo intentus in Sacramenti institutione. Et hinc est, quod Sacramentum in sensu expositæ definitionis, non nisi à solo Deo institui potest, cum solus Deus causare gratiam possit, & consequenter signum practicum gratiæ constituere. Hinc habes discrimen inter Sacrificium, qua tale, & Sacramentum qua tale: illud enim per se, & directe institutum ad Deum colendum, ejusque supremum dominium, & excellentiam recognoscendam, & protestandam: hoc vero directe, & per se ad sanctificandum populum.

Quæres primo, An signum ad rationem Sacramenti requisitum debeat esse stabile, ac permanens?

Respondeo affirmative, cum sit institutum ad Deum colendum, & Dei populum sanctificandum, & consequenter ad hunc ab aliis nationibus infidelibus distinguendum, quod fieri non potest signo transeunte, nec pro aliquo statu durante. Hinc neque linguæ igneæ, quæ apparuerunt die Pentecostes, nec verbâ Christi ad Paralyticum, Matth. 9. *Remittuntur tibi peccata tua*, nec insufflatio Christi in Apostolos, fuerunt Sacramenta, quamvis fuerint signa gratiæ, cum non fuerint signa firma, ac stabilia, saltem pro aliquo statu, sed mere transeuntia. Ita Suar. Laym. Con. apud Pal. hic p. 1. num. 3.

Quæres secundo, An debeat esse signum practicum?

Respondeo, Aliquibus Doctorebus, nec infimæ notæ placere, satis esse, quod sit signum speculativum, ex eo quod Sacramenta veteris legis vera fuerint Sacramenta, ex sensu communi, licet gratiam sanctificantem non continerint, sed eam solum dandam per Christum significaverint. Verum, quamvis non sit de ratione Sa-

eramenti esse signum practicum Sanctitatis perfectæ, & interioris animæ, hoc est gratiæ sanctificantis. est tamen esse signum practicum alicujus sanctitatis, saltem exterioris, & legalis, & signum speculativum gratiæ habitualis sanctificantis: quod verificatur etiam de Sacramentis veteris legis, & sic salvatur, quod fuerint vera Sacramenta.

Quæres tertio, An, & quodnam sit discrimen inter Sacramenta novæ, & veteris Legis?

Respondeo, Ad primum affirmative, ut patebit ex Tridentino, & Florentino mox citandis. Ad secundum respondeo primo, Certum esse, quod Sacramenta nova à veteribus non differant solum in eo, quod sunt aliæ cæremoniæ, & alii ritus externi; ut definitum est à Trid. *sess. 7. can. 2.* Secundo, Differre inter se essentialiter in eo, quod nova gratiam, quam significant, continent, & causant, & consequenter sunt signa practica gratiæ sanctificantis: secus vero vetera, quæ non causant, nisi solum Sanctitatem quandam legalem, & gratiam sanctificantem solum per passionem Christi Domini dandam esse figurabant: constat ex Flor. in Decr. Eug. ubi hæc habentur: *Sacramenta novæ legis multum differunt à Sacramentis veteris legis: illa enim non causant gratiam, sed illam solum per Passionem Christi dandam esse figurabant: hæc vero nostra. Et continent gratiam, Et ipsam digne suscipientibus conferunt, & ex Trid. sess. 7. can. 6. 7. & 8.*

Dices: Circumcisio in lege veteri debebat originale, cujus deletio esse non poterat sine gratiæ infusione: ergo circumcisio causabat gratiam.

Respondeo, Verum quidem esse, quod ad præsentiam circumcisionis debebatur originale; falsum tamen, quod debebatur vi circumcisionis, ita, ut ea dici posset vera causa gratiæ sanctificantis deletivæ originalis. Suadetur manifeste, tum ex locis nuper citatis Florent. & Trid. cum quibus non bene cohæret sententia docens, circumcisionem fuisse veram causam gratiæ, tum ex locutionibus D. Pauli, qui ad Gal. 4. Circumcisionem, & cæteras legales cæremonias appellat elementa infirma, & egena; & ad Gal. 6. *Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura.* Si circumcisio habuisset vim conferendi gratiam, multum quidem valeret, neque dici posset

posset egenum, & infirmum elementum. Dicendum ergo est, nullum Sacramentum antiquæ legis vi sua gratiam causasse, sed solum ex fide Christi venturi, quam Parentes circumcisi, vel Minister ipse circumcisionis exteriori illo signo profitebantur. Ita D. Th. 3. p. q. 62. a. 5. in corp. & ad 3. Bellarm. Sot. Vasq. Laym. Con. apud Pal. hic p. r. n. 6.

Quæres quarto, Quodnam sit discrimen inter Sacramenta, & Sacramentalia?

Prænotandum, nomine Sacramentalium per Theologos venire, quæ continentur hoc versu

Orans, Tinctus, Edens, Confessus, Dans, Benedicens.

Nimirum oratio Dominica, seu *Pater noster*, & oratio in Ecclesia consecrata, asperio aquæ benedictæ, & quælibet unctio Sacramentalis, ut est unctio, quæ fit in manibus Sacerdotis, vel in capite Episcopi; quando ordinatur, comestio panis benedicti, quæ olim erat in usu, confessio generalis, hoc est *Confiteor* (ad quam reducitur unctio pectoris) erogatio eleemosynæ, benedictio Episcopi, vel Abbatis consecrati, benedictio sacrorum cinerum, & benedictio facta cum venerabili Eucharistia. Huc reducuntur consecrationes, seu benedictiones variarum rerum, seu res ipsæ sacræ, sive benedictæ, ut Ecclesiæ, Calices, &c. Sacramentalia vero strictæ sumpta sunt ritus, sive actiones religiosæ ab Ecclesia institutæ ad decentem, ac devotam Sacramentorum administrationem.

Respondeo nunc ad quæsitum: Sacramentalia differunt à Sacramentis potissimum in eo, quod Sacramenta causant effectus suos ex opere operato; Sacramentalia vero nullum effectum causant ex opere operato. Ratio est, quia Sacramentalia non sunt instituta à Deo, vel Christo Domino, sed ab Ecclesia, quæ non habet potestatem dandi alicui actioni vim infallibilem causandi aliquem effectum. Ita Suar. disp. 15. sect. 4. Lug. Esp. Busemb. contra Ledesm. Sot. Viet. Valent. & alios. Igitur quædam Sacramentalia vim habent remittendi venialia solum per modum impetrationis, ut aqua benedicta, & alia, quæ benedicuntur ab Ecclesia interpositis quibusdam orationibus, quæ possunt remittere venialia, quatenus Ecclesia illis orationibus impetrat nobis amorem Dei, contritionem, vel alium pium motum, quo venialia remittantur. Alia vero Sacramentalia, ut

tunſio peſtoris, confeſſio generalis, &c. eandem vim habere poſſunt, quatenus excitant in nobis memoriam, & conſequenter deteſtationem peccatorum, qua deteſtatione remittantur venialia. Hinc inferes, talem effectum non eſſe infallibilem, cum non fundetur in ulla promiſſione Dei, ſed unice in communi lege, & efficacia orationis, quæ non ſemper habet effectum.

CAPUT II.

De Neceſſitate, Numero, & Ordine Sacramentorum.

NOTANDUM primo, Neceſſaria ad ſalutem alia dicuntalia neceſſitate medii, alia neceſſitate præcepti: ſunt neceſſaria neceſſitate medii, quorum executio ita eſt ad ſalutem neceſſaria, ut ſine illis ſalus obtineri non poſſit, etiamſi ob ignorantiam, vel impotentiam omittatur. Sunt vero neceſſaria neceſſitate præcepti, quando non tam ipſa opera præcepta, quam eorum executio eſt neceſſaria ad ſalutem, ita, ut, ſi ob ignorantiam, vel impotentiam ab executione præcepta excuſeris, non obinde ſalutem amittas.

Notandum ſecundo, Ante legem Evangelicam triplicem assignari ſtatum. Primus fuit ſtatus innocentie, in quo creatus fuit Adam cum Juſtitia originali, & duravit uſque ad lapſum Adæ. Secundus fuit ſtatus naturæ, in quo homines dirigebantur ad ſalutem ſola ratione per præcepta naturalia, adjuti tamen lumine ſupernaturali, & gratia, & hic ſtatus duravit ad bis mille annos, nimirum uſque ad Abraham, quando initium habuit lex ſcripta, quia tunc inchoarunt præcepta poſitiva, præſertim Circumciſionis. Tertius fuit legis ſcriptæ, qui duravit uſque ad Chriſtum Dominum. Jam vero in primo ſtatu verosimilius eſt, nulla fuiſſe Sacramenta, tum quia nullibi fit mentio talium Sacramentorum; tum quia, cum brevi tempore eſſet talis ſtatus duraturus, vix poterat eſſe locus eorum uſui. Ita Suar. in 3. part. diſp. 3. ſect. 3. An autem futura fuiſſent in eo ſtatu Sacramenta, ſi duraturus fuiſſet ad longum tempus, incertum eſſe, ait Suar. loc. cit. Quoad reliquos duos, non ſolum in ſtatu legis ſcriptæ, ſed etiam in ſtatu naturæ fuiſſe Sacramenta, communis eſt Doctorem ſententia. Et quidem in ſtatu legis ſcriptæ plura fuerunt Sacramenta, vide-

videlicet Circumcisio, Agnus paschalis, Consecratio Sacerdotis, Lustrationes quædam ab immunditiis legalibus, & Expiationes à peccatis externis, de quibus D. Th. 1. 2. q. 102. art. 5. In statu vero naturæ omnes Theologi teste Suar. in 3. part. disp. 4. q. 1. docent, fuisse aliquod Sacramentum pro parvulis in remedium peccati originalis, consistens in protestatione Fidei in Christum venturum facta à parentibus signo aliquo externo vel à Deo determinato, vel ipsorum parentum, sive aliorum arbitrio remisso, in qua parte non conveniunt Doctores: quod Sacramentum duravit etiam in lege scripta, tum pro feminis, tum pro pueris, qui ante diem Circumcisionis, hoc est octavum à Nativitate, erant in periculo mortis. Probabiliter etiam admittitur pro eodem statu alterum Sacramentum pro adultis in remedium peccati actualis, & congruenter dicitur fuisse Sacrificium, quod quidem, quatenus ordinabatur ad cultum Dei, & recognitionem ejus supremi dominii, erat Sacrificium; quatenus vero per illud in virtute Christi venturi remittebatur peccatum, erat Sacramentum. His prænotatis

Quæres primo, An Sacramenta sint absolute necessaria ad salutem, seu an sit absolute necessaria eorum institutio?

Respondeo negative, Ratio est, quia non est censenda ita limitata divina potentia, ut non potuerit aliis mediis homines ad salutem dirigere, etiam posito statu naturæ lapsæ. Solum igitur dici possunt Sacramenta necessaria secundum quid, hoc est accommodata, & convenientia conditioni, ac statui naturæ humanæ, ut explicat D. Th. 3. p. q. 61. a. 1.

Quæres secundo, An, supposita institutione, necessaria sint, & qua necessitate, ad salutem Sacramenta?

Respondeo, Tum in statu naturæ, tum in statu legis scriptæ Sacramentum institutum in remedium peccati necessarium fuisse necessitat. præcepti: conveniens quippe fuit, præcipi executionem talis signi. Et quidem in lege scripta præceptam fuisse circumcisionem, patet ex illo Genes. 17. v. 14. *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur, &c.* Quo præcepto certe adstringebantur adulti, infantes vero ante usum rationis arctari illo non poterant: quare obligabantur parentes ad suos filios circumcidendos. Necessitatem vero medii in nullo Sacramento legis naturæ, aut scriptæ agnoscit

Pal. hic p. 2. num. 2. cum nullum habuerit de se vim remittendi peccatum, & conferendi gratiam. At in lege gratiæ Sacramenta à Christo Domino instituta necessaria ad salutem sunt necessitate tum præcepti, tum medi, licet non omnia, ut expresse definitum est à Trid. *sess. 7. can. 4.* Quæ vero hæc sint, commodius explicabitur, cum de singulis Sacramentis in particulari agendum erit.

Quæres tertio, Quot sint Sacramenta novæ legis?

Respondeo, Dogma Catholicum esse definitum tum à Flor. in Decr. Eugen. IV. tum à Trid. *sess. 7. can. 1.* quod sint septem, nec plura, nec pauciora, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. Neque huic veritati obstant opiniones asserentes, in Eucharistia Sacramentum corporis à Sacramento sanguinis esse distinctum, & in Sacramento Ordinis ordines majores inter se, & à minoribus specie differre. Nam Ecclesia definivit solum, Sacramenta non esse plura, quam septem, plura, inquam, quæ non contineantur in prædicto numero: quamvis autem plures ordines plura sint Sacramenta specie infima inter se differentia, omnes tamen unum Sacramentum Ordinis, saltem in genere, constituunt. Idem dic de Sacramento Eucharistiæ. Neque item obstat, quod aliqui Patres mentionem Sacramentorum facientes, non omnia numerent; nam non eo ipso negant. Neque demum obstat, quod lotionem pedum à Christo domino factam Sacramentum appellent D. Ambros. l. 3. *de Sacram.* c. 1. & D. Bern. *Serm. in Cœna Domini*: nam Sacramentum usurpant, non proprie, & striete pro signo sanctificante; sed improprie pro signo denotante, ipsos etiam justos, & baptismo sanctificatos indigere nova lotionem pro venialibus denuo commissis.

Ratio hujus veritatis est institutio Christi. Optima autem congruentia traditur à D. Th. 3. p. q. 65. a. 1., quia scilicet his Sacramentis abunde pericitur homo tum quoad se primis quinque, tum quoad communitatem duobus postremis. Baptismo namque spiritualiter nascimur, & in Christo regeneramur. Confirmatione roboramur in vita per Baptismum accepta. Eucharistia in eadem vita nutrimur, & crescimus. Quoniam vero ab hac spirituali vita nos defecturos ob nostram malitiam præciebat Christus Dominus, Sacramentum Pœnitentiæ instituit, quo possemus ad vitam revocari, obtenta peccatorum

torum remissione. Denique instituit Sacramentum Extremæ Unctionis, tum in remedium infirmitatum, quæ ex peccato commissio relinquuntur, tum in adjutorium contra luctam, quam cum dæmone in mortis articulo solemus habere. His quinque Sacramentis fatis, superque privatæ cujusque utilitati, ac perfectioni consultum esse, manifestum est. Reliqua duo ad perfectionem totius populi Christiani ordinantur; nam Ordine constituuntur Ministri, & Dispensatores Sacramentorum, Pastores, & Doctores: Matrimonio vero Populus Christianus multiplicatur per convenientem, & rationi consentaneum ejus usum.

Quæres quarto, Quinam sit Ordo inter Sacramenta novæ legis?

Respondeo, Duplicem considerari posse ordinem inter prædicta Sacramenta, alterum desumptum ex fine, & usu illorum, alterum ex dignitate; ex Tridentin. enim *Sess. 7. Can. 3.* constat, esse alia aliis digniora. Jam vero ordo, quo superius numerata sunt, & numerantur ab Ecclesia, est desumptus tum ex fine, tum ex necessario, & convenienti eorum usu. Quod vero prædictus ordo recte sit assignatus, rationem affert D. Thom. 3. p. q. 65. art. 2. nam priora sunt, inquit, quæ singulos in se perficiunt, quam quæ perficiunt in ordine ad alios, & ideo Sacramenta Ordinis, & Matrimonii postremum locum obtinent, reliqua priorem: & Matrimonium post Ordinem, utpote minus perfectum, & minus participans de vita spiritali. Inter ea vero, quæ ad privatam cujusque perfectionem sunt ordinata, priora debent esse, quæ vitam communicant, & perficiunt, quam quæ remouent obstacula, & idcirco priora sunt Baptismus, Confirmatio, & Eucharistia, quibus vita conceditur, & perficitur, quam pœnitentia, & Extrema Unctio, quibus vita læsa reparatur. Quod, si ordo instituendus esset ex eorum dignitate, primus locus dandus esset Eucharistiæ, utpote omnium Sacramentorum præstantissimo: Secundus, Ordini: Tertius, Confirmationi: Quartus, Baptismo: Quintus, Pœnitentiæ: Sextus, Extremæ Unctioni: Septimus, Matrimonio: vide D. Thom. loc. cit. art. 3.

CAPUT III.

De Materia, & Forma Sacramentorum.

IN re illa sensibili à Christo Domino assumpta ad significandam, & causandam gratiam communiter Doctores sentiunt, aliud se habere per modum materiæ, hoc est partis indifferentis, & determinabilis, aliud per modum formæ, hoc est partis determinatæ, & determinantis ad practicam gratiæ significationem. Cum autem Concilium Flor. in Decr. union. generaliter dixerit, Sacramenta novæ legis tribus perfici, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma & persona Ministri, &c. hinc communiter Doctores dicunt, in quolibet Sacramento materiam esse rem sensibilem, quæ in ejus administratione ex Christi institutione adhibetur: formam vero esse verba, quæ rei adjunguntur. Quomodo autem in singulis Sacramentis verba sint forma; quænam singulorum materia, & qualiter inter se conjungi debeant, ut unum Sacramentum componant, commodius explicabitur, ubi de singulis Sacramentis in particulari agendum erit. Solum hic expedienda erunt aliquot quæsitæ generalia, & communia circa materiam, & formam Sacramentorum.

Quæres primo, An materiæ, & formæ Sacramentorum sint ex Christi Domini institutione determinatæ?

Respondeo affirmative, Ita ut, si non adhibeantur res, & verba à Christo Domino instituta, sed, vel nulla, vel simpliciter alia, non fiat Sacramentum. Ita cum D. Th. 4. p. q. 60. à 5. Catholici omnes contra varios hæreticos apud Bellarm. l. 1. c. 19. idque absolute de fide esse, ostendit Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 2. sect. 3. ex Script. & PP. Idem significat Trid. *sess.* 21. c. 2. docens, in Ecclesia semper fuisse potestatem mutandi aliqua circa administrationem Sacramentorum, *Salva eorum substantia*, quibus verbis manifeste innuit, ex certis rebus, & verbis constare substantiam Sacramenti?

Quæres secundo, An determinatio materiæ, & formæ æqualis, seu ejusdem rationis sit in omnibus Sacramentis?

Respondeo negative; Nam in aliquibus Sacramentis materia est determinata in quadam specie ultima, ut in Baptismo aqua elementaris, in Extrema Unctione oleum: in aliis vero materia est determinata in genere aliquo, plures

plures species sub se complectente, ut materia proxima Pœnitentiæ, quæ est Confessio dolorosa, sive per attritionem, sive per contritionem, quæ specie differunt, & materia remota, quæ est peccatum, sive mortale, sive veniale, &c. Determinatio igitur materiæ in Sacramentis ex institutione Christi est, vel secundum genus, vel secundum speciem infimam, vel etiam secundum individuum: ut in Sacramento Eucharistiæ pro materia partiali determinatum est hoc individuum Corporis, & Sanguinis Christi Domini. Quod vero ad formas attinet, hæc in sex primis Sacramentis sunt determinatæ ad significationem strictè verbalem, & in quinque primis sunt quoad significationem determinatæ ad speciem infimam: in Ordine ad genus tantum: in Matrimonio tantum ad genus signi externi; nam forma possunt esse non solum verba formalia, sed etiam æquivalentia, ut scriptio, & nutus. Hæc omnia constant ex voluntate Christi instituentis, quæ nobis innotescit ex Doctrina Conciliorum, PP. & Theologorum, & ex praxi totius Ecclesiæ: v. Croix hic à n. 9. ad n. 13.

Quæres tertio, An Ecclesia possit mutare materias, & formas Sacramentorum?

Respondeo, Non posse proxime, & formaliter, uti videtur declarasse Trident. text. sup. cit. *sess. 21. c. 2.* dicens, Ecclesiam posse mutare aliqua circa administrationem Sacramentorum, *Salva tamen eorum substantia*, substantia autem Sacramentorum stat in materia, & forma. Potuisset quidem Christus Dominus hanc potestatem Ecclesiæ relinquere; at non fuit congruum: decebat enim, ut Sacramentorum valor unice penderet à voluntate Christi, ea instituentis, tum ut ea essent nobis magis æstimabilia, tum ut in applicatione, & usu mediorum ita necessariorum ad salutem perpetua esset uniformitas in Ecclesia, Dixi *Proxime, & formaliter*, hoc est directè tollendo, seu non retinendo prædicatum illud in materia, vel illam significationem in forma, quam Christus instituit: nam potest Ecclesia remote, & materialiter mutare materias, & formas Sacramentorum, hoc est retinendo prædicatum illud, & illam significationem, quæ Christus illis inesse voluit. Talis est mutatio inducta à Trid. in Matrimonio per impedimentum dirimens Clandestinitatis; nam pro materia, & forma hujus Sacramenti Christus Dominus instituit contractum validum, seu legitimum. Jam vero nunquam Ecclesia effecit,

effecit, nec unquam efficere potuit, ut contractus matrimonialis validus, & legitimus non sit materia Sacramenti; & hoc esset mutare formaliter, & proxime materiam, & formam Sacramenti: sed solum ex potestate, quam habet in hunc contractum, utpote ex Christi institutione sacrum, statuit, ut contractus clandestinus, qui antea erat validus, deinde non esset validus, & sic mutavit materiam hujus Sacramenti tantum remote, & materialiter: non secus ac materialiter, & remote diceretur mutare materiam Calicis, qui vinum aliquod redderet acetum, & sic ineptum ad consecrationem: vide Croix à n. 14. ad 17.

Quæres quarto, Quænam mutatio materiæ, vel formæ invalidet Sacramentum?

Respondeo, Pro resolutione hujus quæstiti duas assignari generales regulas: Prima est, Si mutatio materiæ, vel formæ sit substantialis, non sit Sacramentum. Secunda est, Si mutatio materiæ, vel formæ sit tantum accidentaliter, sit Sacramentum. Hæ regulæ admittuntur ab omnibus, ut ostendit Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 2. sect. 2. Notandum tamen, prædictas regulas intelligendas esse de mutatione theologice substantiali, vel accidentali; hoc est, quam Theologus, spectata auctoritate, ratione, & sensu communi prudentium, dicere debet substantialem, vel accidentalem in ordine ad valorem Sacramenti: nam, qui pro aqua utitur nive in Baptismo, vel in Confirmatione chrismate non benedicto pro benedicto: item, qui in Baptismo dicat, *Ego te baptizor*, vel in Pœnitentia, *Ergo te absolvo*, quamvis physice mutet materias, & formas tantum accidentaliter; theologice tamen mutat substantialiter, nec conficit Sacramentum. Hinc

Quæres quinto, Quænam mutatio materiæ dicenda sit theologice accidentaliter, quænam theologice substantialiter?

Respondeo, Quoties materia juxta communem hominum usum, & existimationem est eadem re, & nomine cum illa, quam Christus instituit, non erit mutatio substantialis, sed ad summum accidentaliter: si vero juxta communem usum, & existimationem non sit eadem cum instituta à Christo, mutatio dicenda erit substantialis. Exemplum sit in Baptismo. Aqua conversa in glaciem, nivem, grandinem, &c. quamvis physice sit eadem aqua; theologice tamen in ordine ad Baptisimum est substantialiter

liter diversa, utpote inepta ad usum abluendi: contra vero, si aqua naturalis calefiat, non solum physice, sed etiam theologice in ordine ad Baptismum erit tantum accidentaliter diversa. Accidentaliter etiam dicitur mutatio, quando adhibetur quidem materia instituta à Christo, sed non adhibetur, qualis præcipitur ab Ecclesia: ut, si quis baptizaret quidem in aqua naturali. sed non benedicta. Ita Croix n. 20. & 21.

Quæres sexto, Quænam mutatio formæ sit theologice substantialis, quænam accidentalis?

Respondeo, Tunc esse substantialem, quando non remanet sensus per verba intentus à Christo Domino: esse vero accidentalem, quando talis sensus remanet. Ita communissime Doctores. Notat Suar. octo modis accidere posse mutationem in forma, nimirum Primo, Per mutationem ideomatis: Secundo, Per verba synonyma: Tertio, Per transpositionem verborum: Quarto, Per interruptionem: Quinto, Per additionem: Sexto, Per subtractionem: Septimo, Per corruptionem: Octavo, Per substitutionem aliorum verborum. Jam vero prima, & secunda mutatio est tantum accidentalis; dummodo verba synonyma, quæ adhibentur, non solum significant easdem res, sed etiam eodem modo, hoc est sub simili conceptu, cum voces non solum significant res, sed etiam conceptus: unde hæc forma, *Ego te baptizo in nomine S.S. Trinitatis*, non est synonyma cum hac alia, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* quia hæc verba longe clarius, quam illa exprimunt Trinitatem personarum, seu tres Personas distinctas: ita Suar. & Dicast. apud Croix n. 31. Quoad interruptionem, quamvis D. Th. hic q. 68. à 8. ad 3. dicat, nomina & verba transposita idem significare, & consequenter non facere, nisi mutationem accidentalem, negari tamen non potest, mutari adeo posse verborum nexum, ut fiat sensus omnino diversus; in quo casu mutatio erit substantialis: ut, si in forma Extremæ Unctionis, *Per istam S. Unctionem, &c.* fieret hæc verborum transpositio: *Quidquid per istam Sanctam Unctionem deliquisti, indulgeat tibi Deus per visum*: quæ transpositio faceret mutationem non solum substantialem, sed etiam blasphemam, ut notat Bernal. apud Croix n. 32. & idem dicendum de hac alia transpositione in forma Eucharistiæ, *Meum est hoc Corpus*, vel *Hoc Corpus est meum*: his enim verbis non significatur transubstantiatio Eucharistica hoc est conversio totius substantiæ

stantia panis in Corpus Christi, quam significat vera forma *Hoc est Corpus meum*, sed solum significatur, hoc Corpus pertinere ad Christum, qui est sensus longe diversus. Interruptio, si sit talis, & tanta, ut tollat unitatem orationis, feret mutationem substantialem, ut, si consecrans post verba *Hoc est corpus* inciperet concuti tussim per dimidium quadrantis, & deinde adderet *meum*, vel si baptizans, postquam dixerit *Ego te bap.* sistat aliquantulum, vel interloquatur, & inde proseguatur *tizo in nomine, &c.* quia non servatur unitas orationis necessaria ad faciendum sensum intentum à Christo Domino. Contra vero, si interruptio sit talis, ut non obstet unitati orationis, & consequenter nec sensui, seu significationi intentæ à Christo Domino, erit mutatio accidentalis, ut si in casu nuper proposito inter *Bap.*, & *tizo* interponatur brevissima respiratio, vel si sic interrumpat: *Ego te baptizo*, (heus pueri silete) *in nomine, &c.* Huc reducitur, si eadem forma dimidiate ab uno, & dimidiate ab altero pronuncietur, ut si alter Confessarius dicat, *Ego te*, alter, *Absolvo à peccatis*, etiam si uterque audierint eundem contentem: in hoc enim casu habetur mutatio substantialis formæ, cum hæc non retineat sensum suum, quia neuter Confessarius facit, quod dicit, se facere, ut notat Dicast. & Bernal. apud Croix num. 33. Idem accidit, si alter ponat materiam proximam, alter formam in iis Sacramentis, in quibus ad veritatem formæ requiritur, ut idem Minister ponat utramque, ut si in baptismo alter ablueret baptizandum, alter diceret, *Ego te baptizo, &c.* Dixi, si eadem forma dimidiate, &c. nam in formis partialibus spectantibus ad idem Sacramentum, continentibus veritates distinctas, & ab invicem non dependentes, non fit mutatio substantialis; sic in Eucharistia potest unus valide consecrare panem, & alter vinum: in Ordine potest valide unus Episcopus conferre potestatem consecrandi, & alter absolvendi: vide Croix n. 33. Additio mutans sensum formæ intentum à Christo Domino, ut in baptismo collato *In nomine Patris increati, Filii creati, &c.* juxta errorem Ariatorum, fert mutationem substantialem; contra vero accidentalem, si non mutet dictum sensum, ut si quis baptizaret *In nomine Dei Patris, Filii, & Spiritus S.* Quod si in fine formæ addantur verba contraria illius sensui; tunc, si hæc ultima addantur, ut determinativa priorum, inducitur in ea mutatio substantialis: sensus enim priorum

rum

rum destruitur per posteriora verba, cum eorum significatio non compleatur, nisi secundum intentionem loquentis. Contra vero, si addantur, ut virtualiter continentia aliam propositionem; & tamquam in parenthesi, non inducunt in priora verba formæ mutationem substantialem, quia in hac suppositione non restringunt, & consequenter non mutant illorum sensum. Exemplum primi sit, si quis in conficienda Eucharistia dicat, *Hoc est corpus meum immateriale*, quia semper ac vox aliqua additur, ut pars prædicati, recte præsumitur addi, ut determinativa illius. Exemplum secundi potest haberi in eo, qui diceret: *Hoc est corpus meum (quod est immateriale)* si hæc verba adderentur, non ut determinativa priorum, sed modo, & intentione superius explicata. Et idem generaliter dicendum de subtractione, & corruptione, circa quam notat D. Th. q. 60. a 7. facilius induci mutationem substantialem, si corruptio fiat initio vocis, ut si pro *Patris*, dicatur *Matris*, quam si fiat in fine vocis; quia apud Latinos plurimæ sunt inflexiones in fine, quæ non variant significationem vocis. & verus sensus per illa, quæ antecedunt, præoccupatur; hinc corruptio adveniens non ita facile immutat sensum in audiente; & generatim loquendo error in genere, vel in quantitate syllabarum facit mutationem accidentalem. Sic etiam accidentalis mutatio habetur, si quis casu, aut ex ignorantia, aut vitio linguæ dicat *Colpus* pro *Corpus*, *Babaptizo*, pro *Baptizo*, *Calis* pro *Calix*, *Espiritus* pro *Spiritus*: v. Croixnum. 36. Substitutio scriptiōnis, nutuum, aliorumve à verbis signorum, facit mutationem substantialem in omnibus Sacramentis uno excepto Matrimonio. Quod, si in eadem voce una littera substituatur pro alia, dicendo *Matris*, pro *Patris*; vel in eadem forma una vox pro alia, dicendo v. g. in forma Eucharistiæ *Hoc est Corpus Christi*, pro *Hoc est Corpus meum*; tunc substitutio coincideret cum corruptione, & consequenter de hac substitutione idem dicendum est, ac de corruptione. Quare Sacerdos invalide consecraret per illam formam *Hoc est Corpus Christi*, quia non loqueretur, ut debet, in persona Christi: ita Suar. in 3. p. disp. 59. sect. 2. in fin. Ad substitutionem revocatur, si aliqua vox sumatur æquivoce, aut mutetur in æquivocam. In quo casu valet regula tradita à Suar. Vasq. Conin. Dicast. & Bernal., nimirum, quod determinatio ad hunc vel illum sensum, peti debet ab inten-

intentione proferentis, vel hac deficiente, à circumstantiis. Hinc, si quis diceret, *Hoc est Calix, &c.* fumendo ly *Hic* adverbialiter, volens significare *Hoc loco*, faceret mutationem substantialem. Similiter, si quis dicens, *Hoc est Corpus meum*, vellet significare meum Sacerdotis, mutaret substantialiter formam, quæ, ut habeat verum sensum intentum à Christo, debet proferri in persona Christi, & significare Corpus meum Christi.

Notandum tamen hic cum Lug. & Amic. apud Croix n. 38. quod, si proferens hujusmodi æquivoca haberet generalem, & prævalentem intentionem significandi, quod Christus significari voluit, & quod Ecclesia intendit, etiamsi per errorem putet, Christum voluisse significare alienum sensum, qui falsus est, adhuc Sacramentum conficeret, ut fufius explicabitur infra, ubi de intentione Ministri. Quod, si ex usu communi, & modo loquendi vox *Amo* in posterum idem significaret, quod vox *Baptizo*, non esset mutatio substantialis in forma Baptismi substitutio vocis *Amo* pro *Baptizo*. Dixi *Ex usu communi*; nam voces habent certam significationem ex institutione, & usu communiter recepto, non ex privata voluntate paucorum hominum unius, vel alterius Civitatis. Ita communiter Doctores cum Dicast. & Amic. apud Croix n. 39.

Quæres septimo, Quomodo peccent mutantes materiam, vel formam in conficiendo Sacramento?

Respondeo, Qui facit mutationem substantialem, sive in materia, sive in forma, per se loquendo, peccat mortaliter; quia est gravis irreverentia contra Auctorem Sacramentorum ponere partes præcipuas Sacramenti, & illud reddere invalidum. Qui vero facit mutationem accidentalem; si hæc sit notabilis, adhuc peccat mortaliter; si non sit notabilis, ad summum peccat venialiter. Dixi *ad summum*; nam poterit simpliciter non peccare, si scilicet mutatio accidentalis non sit contra præceptum Ecclesiæ, sed solum præter usum communiorem Ecclesiæ; ut si quis tempore hyemali baptizaret in aqua tepesfacta tantum manu propria, ne noceret infanti.

Hinc inferes primo, peccare mortaliter, qui in Ecclesia latina pro consecratione utitur pane fermentato, vel forma græca: Gob. tr. 2. n. 829. Qui in ea omittit *Novi, & æterni testamenti*: Conin. n. 84. Qui formam Consecrationis dicit lingua vulgari; Bernal. d. 6. f. 5. n. 93. Qui in extrema unctione omittit *Sanctam, & piissimam*

nam misericordiam, aut nomen sensus, qui inungitur: Suar. Bonac. & alii cum Dicast. de Extr. Unct. n. 68. Qui formam Baptismi sic profert: *In nomine Filii, & Patris, & Spiritus Sancti*: Aversa q. 66, l. 5. §. 8. Qui in Baptismo omittit notabilem partem cæremoniarum: Bernal. loc. cit., quia sunt mutationes accidentales notabiles. Contra vero venialiter ad summum peccare, qui latinam callens, vulgari lingua baptizat: Dicast. Qui in forma Bapt., aut Pœnit. omittit *Ego*, vel in forma Baptismi, aut Confirmationis *Amen*; Scot. Vasq. Con. Dicast. n. 130. vel in forma consecrationis *Evin*: Suar. Henr. Con. Dicast. de Euch. d. 5. n. 63. contra Gabr. Nugn. Vasq. putantes, esse mutationem notabilem. Veniale pariter est formam aliis verbis interrompere, vel bis dicere unum verbum, vel unam syllabam alicujus verbi sine rationabili causa: Gob. n. 41. Totam autem formam repetere, quamvis sub conditione, esset mortale: Gob. n. 328. cum communi; sicuti mortaliter etiam peccare baptizantem, absolventem, vel confirman-tem plures simul, sine necessitate dicendo *Ego vos Baptizo, &c.* docent Scot. Gabr. & Con. putantes, esse mutationem notabilem contra Henriq. Val. Regin. & alios, putantes, non esse notabilem, adeoque non excedere culpam venialem.

Inferes secundo, Facientem absque necessitate mutationem, de qua dubitet, sitne substantialis, an accidentalis, peccare mortaliter contra Religionem, quia sic exponit se formali periculo gravis irreverentiæ contra Auctorem Sacramentorum. Potest etiam peccare contra charitatem, si proximus exponatur periculo privationis magni boni secundum communem æstimationem: quod non verificatur, si Sacramentum, quod exponitur periculo frustrationis, sit facile iterabile, & non sit hic & nunc necessarium. Potest demum peccare contra justitiam, si scilicet ex justitia teneatur ministrare Sacramentum, uti Parochus: v. Croix à n. 44. ad 46.

C A P U T I V.

De Causalitate, & Effectibus Sacramentorum.

VIDENDUM hic primo, Quinam sit effectus primarius omnium Sacramentorum: deinde, Qualiter & Quando causent suum effectum primarium; demum Quinam sit effectus secundarius?

R. P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III. B. Quæ.

Quæres primo, Quinam sit effectus primarius omnium Sacramentorum novæ legis?

Respondeo primo, Esse gratiam habitualement, seu sanctificantem, quæ à Theologis etiam appellatur *Gratia faciens*. Constat ex Trid. *sess. 7. can. 6. de Sacram.* & ex Sacra Scriptura. Nam de Baptismo habemus Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* De Confirmatione Actor. 8. *Per manuum impositionem dabatur Spiritus Sanctus.* De Eucharistia Joan. 6. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo:* quod esse non potest nisi per gratiam. De Pœnitentia Joan. 20. *Quorum remisistis, &c.* De extrema Unctione Jacob. 5. *Oratio fidei salvabit infirmum:* De Ordine 2. ad Timoth. 2. *Ut suscite gratiam, quæ est in te per impositionem;* Et de Matrimonio Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est:* Unde inferes, Sacramenta novæ legis non esse mera signa, gratiæ dandæ à solo Deo ad illorum præsentiam, sed esse veras causas gratiæ sanctificantis; idque est de fide, ut notat Bellarm. *de effectu Sacramentorum cap. 2.*

Huic effectui gratiæ sanctificantis adnexæ sunt omnes virtutes infusæ sive theologales, sive morales, quia omnes hæ virtutes gratiam sequuntur, & comitantur, ut reginam: quare Sacramentum causans gratiam causat indivisim infusionem dictarum virtutum: ita communiter Doctores ex Trid. *sess. 6. c. 7. docente, homines Justificari per susceptionem gratiæ, & donorum.*

Respondeo secundo, Quodlibet Sacramentum præter gratiam sanctificantem, & virtutes infusas, causare gratiam, quæ dicitur Sacramentalis, consistens in speciali quodam auxilio ad consequendum finem proprium cujusque Sacramenti ordinato: e. g. virtute Baptismi confertur auxilium ad servanda omnia præcepta, & ad digne suscipienda reliqua Sacramenta; virtute Confirmationis ad Fidem constanter profitendam, gratiamque conservandam; virtute Eucharistiæ ad tentationes superandas, & gratiam augendam frequenter exercendo actus virtutum; virtute Pœnitentiæ ad detestanda peccata commissa, & integre pro eis satisfaciendum; virtute extremæ Unctionis ad fortius resistendum Diabolo in articulo mortis; virtute Ordinis ad rectum illius usum; virtute demum Matrimonii ad fovendum mutuum amorem conjugum, & fidem matrimonialem servandam. Ita communiter Doctores post D. Th. 3. p. q. 62. a. 2.

Quæ-

Quæres secundo, An omnia Sacramenta novæ legis gratiam causent ex opere operato, hoc est ex institutione Christi?

Respondeo affirmative, Idque definitum esse à Trid. *sess. 7. can. 8.* aliter Baptismus collatus infanti à malo Ministro non causaret gratiam. Hinc inferes, quod, si aliquando detur Sacramentum, & simul adlit actus meritorius operantis; tunc, præter gratiam collatam vi Sacramenti juxta institutionem Christi, confertur etiam alia gratia ex opere operantis, correspondens scilicet actui meritorio operantis.

Quæres tertio, Quomodo Sacramenta causent gratiam, moraliterne tantum, an etiam physice?

Prænotandum hic, causam physicam esse illam, quæ physico, & reali influxu suum effectum attingit; moralem vero, quæ influxu non physico, & reali, sed tantum morali attingit effectum suum. Sic, si quis mandat alteri homicidium, aut det consilium de homicidio, & hic vi mandati, vel consilii hominem occidat, occidens erit causa physica; mandans vero, vel consilium dans erit causa moralis homicidii. Quare omnis causa movens, sive determinans aliam ad causandum physice effectum est causa moralis illius. His prænotatis

Respondeo, Plures, gravesque Doctores apud Pal. p. 8. n. 4. tribuere Sacramentis non solum causalitatem moralem, sed etiam physicam in gratiam, cum talis modus operandi, & Sacramentorum dignitatem extollat, & conformior sit locutioni Scripturæ, Conciliorum, & Patrum asserentium, homines Sacramentis mundari, & sanctificari, quod non videtur salvari per solam causalitatem moralem; per hanc enim Sacramenta solum essent signa excitantia Deum ad dandam gratiam: sicuti chirographus excitat debitorem ad pecuniam solvendam. Addunt, Sacramenta veteris legis fuisse causas morales gratiæ; Circumcisione enim posita ex promissione Divina remittebatur originale: atqui Sacramentis novæ legis tribui debet altior modus operandi, & producendi gratiam: debent igitur non solum moraliter, sed etiam physice gratiam causare. Sed his non obstantibus, probabilius esse cenſeo, Sacramenta novæ legis solum moraliter causare gratiam. & quod causent moraliter gratiam, videtur certum; actiones enim Sacramentales sunt moraliter actiones Christi, ut merentis nobis gratiam, ejus nomine à suis Ministris ponuntur: hinc D. Aug.

tr. 5. in *Joan.* hanc reddit rationem; quare baptizati à scelestis hominibus, aut ab hæreticis non rebaptizentur, quia nimirum per *Ministros*, quantumvis malos *Christus* est, qui baptizat. Actiones autem ministrorum principalis nomine factæ, ipsius principalis dignitate moraliter informantur, à qua desumunt suum valorem, qui in præsentia non est, nisi vis satisfactoria, & meritoria gratiæ Deum, adeoque vis moraliter causativa gratiæ. Quod autem hæc sola vis causativa moraliter gratiæ de facto insit Sacramentis novæ legis, suadet, quia nulla apparet necessitas admittendi de facto in Sacramentis miraculosam hanc physicam causalitatem gratiæ ultra moralem. Nam primo, Nullum est talis miraculi firmum fundamentum in Scriptura, Conciliis, & Patribus: ex quibus solum habemus Sacramenta esse signa practica gratiæ, gratiam continere, & causare: quod optime intelligi potest de causalitate morali. Secundo, tale miraculum neque est necessarium Sacramentorum dignitati, aut hominum utilitati. Non dignitati Sacramentorum; nam causalitas moralis est vera causalitas: sic Passio, & Mors Christi Domini vere dicitur nostram sanctitatem causare, quamvis eam non causet, nisi moraliter; & sæpe est nobilior causalitate physica, ut colligitur ex D. Aug. in *Psal.* 63. affirmante, mortem Christi potius tribuendam esse Judæis à Pilato petentibus ejus crucifixionem, quam Pilato, & gentibus illum crucifigentibus. Neque hominum utilitati; ad hanc enim solum facit, quod gratia per Sacramenta ipsis communicetur, & infallibiliter communicetur: & parum refert, siue physice, siue moraliter communicetur: infallibilitas autem effectus habetur, siue Sacramenta sint tantum causæ morales, siue sint etiam causæ physice gratiæ. Tertio demum, Falsum est, quod, si Sacramenta essent solum morales causæ gratiæ, essent ejusdem virtutis, ac Sacramenta veteris legis, & comparanda essent chirographo, quo debitor testatur, se debitorem esse; nam Sacramenta vetera ex dictis non conferebant gratiam, sed illam conferendam significabant; &, quamvis in Circumcisione gratiam conferebatur, tamen non Circumcisioni, sed Fidei in Christum venturum; quam Circumcisus, vel ejus Parentes illo signo profitebantur, tribuenda erat concessio gratiæ. ac proinde ea erat non ex opere operato, sed ex opere operantis. Sacramenta vero novæ legis sunt signa practica gratiæ, eamque ex opere

ope-

operato conferunt. Chirographum, quo quis se debitorem testatur, non continet debitum, sed solum illud signat: hinc debitor non ob manifestationem chirographi, sed ob obligationem, quam aliunde habet, illud solvendi, cujus obligationis signum est chirographum, debitum solvit: at Sacramenta novæ legis continent merita Christi, & gratiam: quare potius comparari possunt, ut bene notat Con. q. 62. a. 4. n. 131. bursæ plenæ pecuniis alicui concessæ, ut sibi necessaria comparet.

Quæres quarto, Quo tempore Sacramenta gratiam causent?

Respondeo, Sacramenta consistentia in usu, & transeuntia, qualia sunt omnia, præter Eucharistiam, quæ una est Sacramentum permanens, gratiam causare, quando materia, & forma habent perfectam significationem: e. g. in Baptismo, quando materia, & forma habent perfectum sensum, seu cum primo verificatur, quod suscipiens Baptismum fit ablutus, & simul à Ministro abluente prolata sint verba formæ cum intentione requisita, tum ex parte Ministri, tum ex parte suscipientis; tunc causatur gratia, dummodo non ponatur obex. De Eucharistia vero, quæ est Sacramentum permanens dicendum, quod gratiam causat, cum in stomachum trajicitur, quia tunc dicitur manducari; & efficacia, seu causalitas hujus Sacramenti à Christo Domino adnexa est manducationi, ut aperte colligitur ex Evangel. pluribus in locis, & præsertim Joan. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

Quæres quinto, An omnia Sacramenta possint causare primam gratiam, hoc est gratiam remissivam peccati mortalis?

Prænotandum, Ex Sacramentis, alia dici *Mortuorum*, quæ scilicet sunt per se ordinata ad justificandum peccatorem, qualia sunt Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ; alia dici *Vivorum*, quæ scilicet ex primaria sua institutione sunt ordinata ad augendam gratiam hominibus justis, qualia sunt cætera Sacramenta. Jam vero certum est, Sacramenta vivorum per se requirere in suscipiente statum gratiæ: ita ut gratiam certo non causant in suscipiente, etsi attrito, si conscientiam habeat peccati mortalis: in quo casu ad recipiendum fructuose Sacramentum teneretur præmittere confessionem Sacramentalem, vel contritionem juxta dicenda inferius. Dubium nunc est, an in aliquo casu per accidens causent

primam gratiam, quando scilicet quis peccati, quod vera est in anima, invincibiliter oblitus, sola præmissa attritione, aliquod ex Sacramentis vivorum suscipit? Ad quod

Respondeo affirmative Cum communiore sententia, quam Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 7. sect. 2. probabiliorum, & magis piam dicit. Ratio est, quia ex Trid. *sess. 7. can. 6.* Sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicem: atqui in casu adducto accedens cum sola attritione ad Eucharistiam e. g. non poneret obicem. Probat hęc minor: nam, sicuti peccatum non est obex gratiæ in Sacramentis mortuorum, si quis ad ea cum sola attritione accedat; ita nec in casu nostro: gratis enim assumitur, quod peccatum retractatum per attritionem non fit obex gratiæ solum in Sacramentis institutis ad delenda mortalia; in reliquis vero fit obex. Sacramenta igitur vivorum dicuntur talia, quia per se supponunt gratiam in suscipiente: hoc tamen non obstat, quominus in casu posito per accidens causent primam gratiam: sicuti e contra Sacramenta mortuorum per se causant primam gratiam: hoc tamen non obstat, quominus causent per accidens secundam gratiam, iis videlicet, qui ad illa accedunt perfecte contriti, vel qui solum venialia, vel mortalia remissa clavibus subiciunt.

Quæres sexto, Quinam fit effectus secundarius Sacramentorum?

Respondeo, Esse characterem, qui à tribus tantummodo Sacramentis, nimirum Baptismo, Confirmatione, & Ordine imprimitur suscipientibus. ut definitum est à Flor. in Decr. Arm. & à Trid. *sess. 7. can. 9.* Est autem character signum indelebile, seu qualitas quædam spiritualis, ac supernaturalis impressa animæ, qua Christo Duci, Principi, summoque Sacerdoti unimur, & in illius servos, milites, ac ministros ad divinum cultum deputamur, & consignamur; nam character Baptismi consignamur in servos Christi, ac domesticos Dei; Confirmationis in milites ad tuendam ejus fidem; Ordinis, in Ministros, & dispensatores mysteriorum Dei. Tale signum per se pertinet ad primam speciem qualitatis, quia est qualitas per se data ad ornandum hominem, eumque disponendum ad fines suprascriptos: reductive autem constitui potest in secunda specie qualitatis, quæ est potentia, quia per eam homo fit aptus, tum ad recipi-

piendum, tum ad operandum: nam caractere Baptismi Baptizatus redditur aptus ad fuscipienda reliqua Sacramenta, cum nemo possit valide cætera Sacramenta fuscipere, nisi sit Baptizatus; ideoque Baptismus dicitur Janua Sacramentorum, & præterea redditur aptus ad ministrandum Sacramentum Matrimonii: caractere Confirmationis disponitur confirmatus ad reliqua Sacramenta aptius recipienda, & ministranda: caractere demum Ordinis redditur ordinatus aptus ad conficiendum, & ministrandum Sacramentum Eucharistiæ, & ad ministrandum Sacramentum Baptismi, Pœnitentiæ, & Extremæ Unctio- nis. Igitur caracter Baptismi est quædam potentia pas- siva relate ad omnia Sacramenta, & activa relate ad Matrimonii Sacramentum: reliqui duo Confirmationis, & Ordinis, ex nuper dictis, sunt quædam potentiæ activæ; & idcirco caracterem reduci posse ad speciem potentiæ; docent Suar. Bon. Laym. Pal. Ex eo autem, quod solum supradicta tria Sacramenta caracterem im- primant, infertur, ut definit Trid. loc. cit. quod solum illa tria sint simpliciter irreiterabilia.

QUÆSTIO II.

De Causa Efficiente Sacramentorum.

INQUIREMUS, Primo, Quænam sit causa efficiens Sacramentorum? Secundo, Agemus de intentione: Tertio, De cæteris requisitis in Ministro ad validam: & licitam Sacramenti confectionem.

CAPUT I.

Quænam sit Causa efficiens Sacramentorum.

DUPLEX est causa efficiens Sacramentorum, altera Sacramentum instituens, altera jam institutum mi- nistrans. Hinc

Quæres primo, Quænam sit causa effectiva instituens?

Respondeo, Certum esse, quod Sacramenta omnia à solo Deo, tamquam à principali auctore, instituta fuerint: cum enim solus Deus gratiæ sanctificantis au- ctor esse possit, solus Deus instituere potest signa, præ-

sertim practica gratiæ. Ita communissime Doctores cum D. Th. q. 64. a. 2. Hinc, quamvis Christus Dominus, qua Homo est, dicendus sit institutor Sacramentorum, non debet tamen, qua talis, dici primarius Institutor, & Auctor Sacramentorum: nam, qua Homo, Sacramenta instituit ex potestate ipsi à Deo communicata, ob excellentiam talis Humanitatis ratione unionis Hypostaticæ cum Verbo Divino juxta illud Marc. ult. *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in Terra.* Christus igitur, qua Deus fuit Institutor Sacramentorum ex potestate auctoritativa; qua Homo, ex potestate excellentiæ, communicata nimirum à Deo tali Humanitati ratione suæ excellentiæ.

Quæres secundo, An ea potestas instituendi Sacramenta, quam habuit Christus, qua Homo est, possit communicari à Deo alicui puræ Creaturæ?

Respondeo, Alios affirmare, alios negare, quorum opiniones conciliare videntur Con. Laym. & Pal. p. 4. n. 3. asserentes, posse quidem communicari, quamvis non cum ea perfectione, qua communicata de facto fuit Humanitati Christi, cui fuit concessa quodammodo ex debito, tum ob excellentiam Personæ, tum ob ejus opera meritoria de condigno talis potestatis. Hac perfectione communicari certe non posse, asserunt, dictam potestatem puræ Creaturæ, cui non potest talis potestas esse debita, neque ratione excellentiæ, neque ratione operum meritoriorum, cum nulla pura creatura possit de condigno mereri alieni peccati remissionem. Solum igitur asserunt, potuisse eam potestatem communicare puræ creaturæ ex liberalitate Divina, vel in præmium alicujus operis boni facti, vel faciendi.

Quæres tertio, Quænam sit causa effectiva ministrans, seu quinam sit Minister Sacramentorum?

Respondeo, De lege ordinaria, & Christi institutione esse solum hominem viatorem: cum enim Sacramenta instituta sint pro cursu hujus peregrinationis, & in ejus subsidium, expediens fuit, ut solus homo in hac vita degens eorum Minister deputaretur. Ita cum D. Thom. q. 64. a. 5. tenent communiter Doctores. Hinc inferes, neque dæmones, neque Angelos, neque homines comprehensores, aut damnatos esse Ministros Sacramentorum. Quod, si aliquando constaret, Angelos Sacramentum aliquod ministrasse, credendum est, ipsis datam fuisse

spe-

specialiter, & extraordinarie à Deo potestatem conficiendi, & ministrandi tale Sacramentum: dæmonibus autem nunquam credendum est hanc potestatem communicari, sed potius ex sua malitia Sacramenti ministrationem attentare. Ita D. Th. Con. Sayr. Bon. Suarez, apud Pal. p. 5. n. 1.

Quæres quarto, An quivis homo sit cujusvis Sacramenti Minister?

Respondeo negative, idque de fide esse contra Lutherum, docet Bellar. l. 1. c. 24. Idipsum definitum expresse est à Trid. pluribus in locis, & potissimum *sess. 7. can. 16. de Sacram.* *Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis administrandis potestatem habere. Anathema sit.* Quinam vero sit cujusque Sacramenti Minister, commodius suis locis explicabitur.

C A P U T II.

De intentione requisita in Ministro ad validam, & licitam Sacramenti confectionem.

IN T E N T I O est, *Actus voluntatis, quo quis intendit aliquem finem, seu quo quis se determinat ad aliquid faciendum.* Multipliciter dividitur: Primo in actualem, virtualem, habitualem, & interpretativam. Actualis est, qua quis actu aliquid intendit, seu vult aliquid facere. Virtualis est, quæ promanat ab actuali prius habita, nec retractata, & moraliter perseverante in aliquo opere, seu in aliqua serie actionum inchoata vi illius intentionis actu aliquando habitæ: ut si Confessarius distractus absolvat vi voluntatis, qua ad confessionem excipiendam accessit, vel si Parochus distractus baptizet, sed ex voluntate baptizandi prius habita, vi cujus accessit ad Ecclesiam, & successive præparavit, ac peregit omnia necessaria ad validam, & licitam Baptismi ministrationem: in tali enim continuata successive serie actionum ordinarum ad Baptismi collationem moraliter perseverat illa intentio prius habita tanquam in sua virtute, & effectu. Habitualis est intentio aliquando habita, & nunquam retractata. Interpretativa est, quæ nec est actu, nec unquam fuit, animus tamen operantis est ita dispositus, ut eam haberet, si de ea cogitaret. Dividitur secundo, In absolutam, & conditiona-

tam. Absoluta est, qua quis intendit aliquid independenter à quocunque eventu: conditionata, qua quis aliquid vult dependenter ab aliqua conditione. Dividitur tertio, In directam, & indirectam. Directa est, qua quis vult aliquem effectum in se ipso: indirecta, qua quis vult effectum in causa: sic, si quis inebrietur prævidens, se in ebrietate commissurum homicidium, dicitur directe velle ebrietatem, indirecte homicidium. His positis

Dico primo: Ad valorem Sacramenti non sufficit ex parte Ministri intentio ponendi res, & verba ex joco, neque etiam intentio ponendi nea serio, nec pure materialiter; sed necessario requiritur intentio ponendi ea, ut Sacramentalia. Prima pars est contra Luther. Calvin. & alios asserentes sufficere intentionem ponendi quomodocunque res, & verba, dummodo addit in suscipiente fides: est tamen de fide partim ex Flor. in Decr. Eug. IV. ad Arm. & ex Trid. *sess. 7. can. 15.* requirentem ad valorem Sacramenti intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia; partim ex decreto Leonis X. damnantis hunc 12. Lutheri articulum. *Si Confessus non esset contritus, aut Sacerdos non serio, sed joco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus.* Quod autem dicitur de absolvente, valet de conficiente quodvis aliud Sacramentum. Altera pars est contra Catharinum, Scribonium, & alios putantes, sufficere intentionem ponendi actiones mere materialiter. Hanc opinionem communiter rejiciunt Doctores, adeo ut Lug. d. 8. n. 15. dicat, parum distare ab errore Hæreticorum; & Vasq. disp. 538. n. 34. putet, esse expresse damnatam: & oppositum esse ab Ecclesiâ definitum, saltem certissimum esse, ait Croix n. 54. postquam ab Alexandro VIII. die 7. Decembr. 1690. damnata fuit hæc 28. Prop. *Valet Baptismus collatus Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit, non intendo, quod facit Ecclesia.* Et ideo Trid. *sess. 14. c. 6. de Pœnit.* in Sacerdote absolvente requirit animum, non solum serio agendi, sed etiam vere absolvendi. Ratio autem generalis pro omnibus Sacramentis est voluntas Christi Sacramentorum Institutoris, qui juxta Apost. 1. ad Corinth. 4. Voluit, suos Ministros esse, non pure nuntios, seu meros executores, sed *Dispensatores mysteriorum Dei*, ad quos spectat humano modo agere hic, & nunc quidem ad suum arbitrium, sed accommodate ad voluntatem Principalis.

cipalis, ejus vices gerunt: Vide Croix loco supra citat.

Opponunt: Primo Historias tum de duobus pueris inter jocum baptizantibus (& quidem valide, ut declaravit Patriarcha Alexandrinus, & Ecclesia Constantinopolitana) tum de S. Genesio, qui, dum mimum in scena ageret, ut placeret aliis, fecit, se baptizari, & statim martyrii coronam adeptus est: Secundo, Minus confonum esse Misericordiae Divinae, quod unice propter culpam ministri nolentis e. g. baptizare, homines damnentur; Tertio, Contractus humanos esse validos, etiam si desit in contrahentibus intentio contrahendi, dummodo ponatur, quidquid externe requiritur ad valorem contractus: ergo, &c.

Respondeo: Ad primum, in illis pueris fuisse seriam intentionem faciendi verum Sacramentum per hoc, quod fuerit seria voluntas æmulandi totum id, quod faciebant adulti baptizantes: quod non est novum in pueris. Quoad S. Genesium, dico, vel in eo non defuisse sufficientem intentionem pro Sacramento; vel si defuit, illum justificatum fuisse per contritionem, vel per Martyrium subsequens. Ad secundum Alenf. Dur. Gabr. & alii apud Avers. q. 64. f. 3. respondent, Christum Dominum in ejusmodi casibus supplere effectum gratiae deficientis ex culpa Ministri: Suar. tamen recte docet, hanc supplementationem non fundari in ulla promissione Divina, & carere omni ratione probabili. Dicendum igitur est, tales homines damnari, non propter culpam Ministri, sed propter propriam, vel originalem, vel actualem antea contractam, & non remissam. Quod autem in tali casu non remittatur, non est ex defectu bonitatis in Deo, qui dat media, sed occasionaliter est ex malitia Ministri, quam Deus impedire non tenetur; imo nec potest, salva lege ordinariae Providentiae. Ad tertium, Primo, nego assumptum juxta dicta in Tract. de Contract. Secundo, Etiam dato, quod ad contractus inter homines, qui non possunt cognoscere intentiones internas, non requireretur intentio interna, non inde sequitur, quod non requiratur talis intentio in Ministro Sacramentorum, ad hoc ut valeat quasi contractus Dei cum ipso; Deus enim, utpote intuens cor hominis, & potuit, & voluit alligare effectum gratiae, & validitatem Sacramentorum internae intentioni Ministri.

Dico

Dico secundo: Intentio indirecta, seu in causa non sufficit ad conficiendum Sacramentum: e.g. si quis praevidens, se in somno, vel ebrietate baptizaturum aliquem, se inebriet, vel somno dedat, etiam eo consilio, ut alium baptizet, invalidus est Baptismus. Ita communiter Doctores; idque extra controversiam esse, ait Vasq. disp. 138. n. 68. Ratio est, quia, nec talis confectio Sacramenti dici potest actio humana, cum non sit facta libere, seu ex deliberatione rationis; nec talis prolatio verborum est locutio humana, utpote non manifestativa mentis, sive iudicii praesentis, cum in tali statu non sit usus humanus mentis, sive rationis. Adde, quod talis actus non sufficit ad contractum, & commercium humanum: multo minus igitur satis erit ad actum Ministri, quem Christus voluit esse fidelem dispensatorem mysteriorum Dei: quique attendere debet, ut ponatur debita materia, & bene exprimatur forma in solo matrimonio per procuratorem celebrato potest principalis etiam dormiens, aut ebrius valide contrahere, quia etiam in tali statu vi mandati praecedentis moraliter virtualiter influit in voluntatem procuratoris.

Dico tertio: Nec sufficit in Ministro intentio, sive habitualis, sive interpretativa. Ratio est, quia intentio Ministri debet esse causa actionis, qua ponitur Sacramentum: ex vi enim illius debet positio Sacramenti esse actio humana Ministri agentis nomine Christi, & prudenter dispensantis mysterium Dei: intentio autem, sive habitualis, sive interpretativa, cum neque in se, neque in aliqua sua virtute existat tunc, cum ponitur Sacramentum, non potest ullo modo esse causa actionis, qua ponitur Sacramentum.

Dico quarto: Quamvis in Ministro sit sufficientissima intentio actualis, ea tamen non est necessaria, sed sufficit virtualis. Ita communissime omnes, ait Suar. d. 13. se. 3. Lugo d. 8. n. 90. Herinc. d. 3. n. 32. Ratio est, Primo, quia haec sufficit ad vota, ad orationem, ad contractus: ergo similiter sufficiens erit ad conficienda Sacramenta: Secundo, quia, si non sufficeret intentio virtualis, confectio Sacramentorum esset exposita perpetuis dubiis, & scrupulis: est enim supra moralem potestatem hominis semper habere intentionem formalem actualem, cum saepe nobis invitis sese ingerant distractiones illam impediens: hinc possemus merito semper dubitare de valore Sacramenti; de quo, cum non dubitent Ecclesia,

&

& Doctores, dummodo Sacramentum sit positum cum intentione virtuali, est moraliter certum, hanc sufficere: Tertio à priori, quia intentio virtualis est sufficienter causa actionis, qua ponitur Sacramentum: est enim quædam virtus prioris intentionis imperans, & dirigens executionem ejusdem objecti: ergo, &c.

Ex dictis infer, eum, qui de more ponit actiones requisitas ad Sacramentum, non posse prudenter dubitare de intentione requisita, nisi hanc positive excludat: quia sic vult facere, quod alias solet, & quod faciunt similes Ministri, quod sufficit, ut notat Gammach. & Abelly. Præterea in tali casu Minister jam exercite cognoscit, illas actiones esse sacras, & ordinatas ad certos fines: ergo exercite intendit eas, ut tales, & ad tales fines, quod sufficere docet Vasq. Hinc Maur. q. 78. n. 5. recte infert, Ministros Sacramentorum, nisi studiose omiserint intentionem faciendi Sacramentum, vel habuerint intentionem oppositam, inepte dubitare, an habuerint intentionem sufficientem ad valorem Sacramenti. Addit Bellar. opus non esse, expresse, & formaliter dicere ore, aut corde, *Intendo hoc facere, &c.* (hæ siquidem scrupulosæ reflexiones potius devotionem impediunt, animumque perturbant, ut notat Herincx d. 3. n. 28.) sed tantum requiri, ut homo sit præsens animo, & attente faciat, quod facit; ista enim dicuntur intentio in actu exercito, ut loquuntur Cajet. & Less. hic q. 64. a. 8. dub. 2.

Dico quinto: Valide, & si adsit justa causa, etiam licite conficitur à Ministro Sacramentum cum intentione conditionata de præterito, vel de præsentis jam purificata: illicite, & invalide semper conficitur cum intentione conditionata de futuro (uno excepto Matrimonio) Prima pars patet ex praxi Ecclesiæ: sæpe enim baptizatur infans, si non est baptizatus, si est capax, &c. Dixi licite etiam confici à Ministro Sacramentum cum tali intentione conditionata, *Si adsit justa causa;* nam sine justa causa illicite administratur: & sane veniale peccatum esset explicite addere aliquam ex conditionibus intrinsicis Sacramento, ut sunt omnia illa, quæ requiruntur ad valorem Sacramenti, tam ex parte conferentis, quam ex parte suscipientis, quæ conditiones de se imbibuntur in ipsa intentione conficiendi Sacramentum. Tales sunt hæ conditiones, *Si ipse conficiens Eucharistiam potestatem habeat, Si suscipiens Sacramentum*

mentum sit capax, &c. ita Croix n. 78. At, si conditiones sint Sacramento extrinsecæ, sine quibus scilicet haberi potest Sacramentum, ut *Si Petrus iuit Romam. Si Paulus dormit, &c.* semper grave peccatum erit sub iis Sacramenta conficere; maxime, si sint occultæ; tum quia Christus Dominus noluit, Sacramenta conferri sub conditionibus impertinentibus; tum quia, quando sunt occultæ, exponitur Sacramentum periculo nullitatis casu, quo non adesset conditio, sub qua conficitur Sacramentum: ita Suar. Henr. Bon. & Pal. p. 5. n. 7. Altera pars probatur: quia, si baptismus conferatur e. g. sub hac conditione, *Si cras pluet*, talis baptismus neque potest esse validus, quando ponitur materia, & forma ex defectu intentionis in Ministro non intendente tunc baptismum, sed solum, quando purificabitur conditio, neque potest esse validus, quando purificabitur conditio, quia tunc deest materia, & forma Sacramenti: ergo est simpliciter invalidus. Non est igitur in potestate Ministri Sacramenti valorem, & effectum suspendere, illumque à materia, & forma ex sua voluntate dividere. Excipe matrimonium, quod, cum sequatur naturam, & leges contractus, valide, & licite celebrari potest sub conditione de futuro, e. g. *Si Papa dispensaverit in impedimento, Si Pater consenserit, &c.* Notandum tamen, quod in tali casu non suspenditur, neque sejungitur effectus Sacramenti ab ejus materia, & forma: nam materia, & forma Sacramenti matrimonii non habetur, nisi in contractu absoluto; conditionatus autem contractus non transit in absolutum, nisi purificata conditio: contractus igitur matrimonialis, quousque est conditionatus, non est simpliciter materia, & forma Sacramenti, quæ solum habentur, purificata conditio, quia tunc contractus evadit absolutus.

Quæres primo, Si Minister habeat simul intentiones contrarias, quænam debeat prævalere? e. g. Si velit facere, quod Christus instituit; nolit tamen facere, quod intendit Ecclesia Romana?

Respondeo, Prævalere illam, quæ est magis absoluta, seu quæ, cognita earum impossibilitate, remaneret irrevocata, altera revocata: utra vero sit talis, erui debet ex dispositione Ministri, si magis sit affectus circa unam, quam circa alteram. Quod, si de hoc dubitetur, dubius erit valor Sacramenti. Sic, si hæreticus velit baptizare, & nolit se conformare Ecclesiæ Romanæ, quia

quia putat, eam errare: ita tamen, ut si sciret, Ecclesiam Romanam non errare, adhuc vellet Sacramentum conficere, & revocaret intentionem non conformandi se Ecclesiae Romanae; voluntas faciendi Sacramentum praevalet voluntati non faciendi, quod intendit Ecclesia Romana: &, quia ex communiter contingentibus id praesumitur rationabiliter de haereticis baptizantibus, dummodo servant materiam, & formam institutam à Christo Domino, idcirco baptismus collatus ab haeretico reputatur validus. Contra vero, si constaret, aliquem ita conferre baptismum sub dictis intentionibus contrariis, ut si sciret, Ecclesiam Romanam non errare, adhuc nollet huic se conformare; tunc dicenda esset praevalens intentio non conformandi se Ecclesiae Romanae, seu intentio non faciendi Sacramentum.

Quæres secundo, An intentio Ministri debeat esse determinata ad certam materiam, & personam?

Respondeo affirmative cum Lug. d. 8. num. III., quia intendere debet praesens Sacramentum, quod constat sua e. g. ablutione: actio enim procedens ex intentione debet cadere supra id, in quod fertur intentio: hinc debet intendere conferre Sacramentum personae praesenti, cui applicat illam actionem: ideoque, si quis ablueret Cajum, & intenderet baptizare Titium, quem non abluit, invalide baptizaret, & mentiretur, si abluens Cajum intra se diceret, *Volo baptizare Titium*. Similiter, si Sacerdos vellet consecrare alteram tantum ex hostiis sibi praesentibus, eam nondeterminans: si Confessarius nollet absolvere alterum tantum ex poenitentibus sibi jam confessis, illum pariter non determinans, neutra hostia consecraretur, neuter poenitens absolveretur: v. Croix n. 61. ubi advertit, non expedire, quod Sacerdos restringat intentionem ad talem in individuo hostiam, quam ipse apposuerit, vel ad talem in individuo personam; sed potius dirigendam esse intentionem ad personam, & ad materiam praesentem, & sibi moraliter approximatum.

Quæres tertio, An error Ministri circa personam suscipientem Sacramentum obstet illius valori?

Respondeo negative, per se loquendo, excepto matrimonio. Ita communiter omnes cum Vasq. d. 138. c. 7. Ratio est, quia natura sex primorum Sacramentorum non exigit, ut Minister debeat restringere suam intentionem ad hunc, vel illum, cum satis sit, quod intentionem

tionem dirigat ad petentem, five sit Cajus, five sit Titius, cum id parum referat ad finem Sacramenti, ut ait Sanch. *de Matrim.* disp. 18. num. 12.. Hinc valide baptizas puerum, licet per errorem putes, esse puellam: valide absolvis virum, licet putes, esse mulierem, quia scilicet intendis baptizare, vel absolvere personam tibi præsentem. Contra vero contrahens matrimonium determinate intendit hanc personam, quia natura matrimonii est, ut inducat obligationem ad semper vivendum cum hac persona, & ad simul educandas hujus personæ proles: hinc error circa personam est error circa substantiam contractus, ipsum invalidans, juxta dicenda in Tract. de Matrim. Dixi, *Per se loquendo*; nam, si Minister expresse non intenderet e. g. absolvere, si is, qui absolvitur, non esset Titius; si revera ille non est Titius, invalida est absolutio: e contra, si contrahens matrimonium vellet contrahere, cum muliere præsentem, five sit Caja, five Berta, validum esset matrimonium, etiamsi erraret in persona: sed hæc essent per accidens, & præter naturam talium Sacramentorum: v. Croix num. 68.

Quæres quarto, An error Ministri circa formam invalidet Sacramentum?

Respondeo primo, Si error Ministri exterius manifestetur in ipsa forma, & sit talis, ut corrumpat verum sensum formæ, nullum est Sacramentum, quia in tali casu haberetur mutatio substantialis formæ. Exemplum sit in Ariano exprimente in forma baptismi suam hæresim, & baptizante *In nomine Patris Dei, Filii creaturæ, &c.* Quod, si error externe expressus non corrumpat legitimum sensum formæ, stare poterit validitas Sacramenti sub tali errore, utut exterius expresso. Exemplum sit in Ministro baptismi putante, expressionem pronominis *Ego* in forma æque esse necessariam, ac expressionem personarum Trinitatis: talis error, etiamsi exprimeretur in forma, cum non corrumpat ejusdem verum sensum, non obstaret valori baptismi: ita Pal. p. 3. n. 6.

Respondeo secundo, Si error Ministri non manifestetur exterius in ipsa administratione Sacramenti, sed tantum retineatur in corde, etiamsi sit contrarius vero sensui formæ, non invalidat Sacramentum, dummodo Minister intendat facere, quod Christus instituit. Exemplum sit in eodem Ariano credente, *Verbum Divinum esse Creaturam*

turam, sed talem errorem nullatenus exprimente in forma, adeoque baptizante sub forma consueta *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. In tali casu valide, per se loquendo, baptizat Arianus, si intendat facere, quod Christus instituit; nam error ille privatus interius tantum conceptus neque mutat formam, neque impedit debitam intentionem. Non mutat formam, sive ejus sensum, quia hæc non ex privato cujusque arbitrio, sed ex communi usu, hominumque impositione pendet: cum igitur voces *Filii, & Spiritus Sancti* in administratione baptismi ex communi usu, hominumque impositione supponant pro Filio, & Spiritu S., eadem singularem naturam cum Patre habentibus; non poterit privatus error talem impositionem mutare. Neque obstat, voces esse signa conceptuum: &, cum in casu, de quo loquimur, illæ voces significant conceptum falsum Ministri: sequitur, quod habeatur mutatio in significatione. Nam non sunt signa conceptus falsi ex hominum impositione, quamvis à proferente hic & nunc usurpentur ad significandum conceptum falsum: sed ex impositione hominum sunt signa conceptus veri, quem proferens habet, vel habere debet: ita Pal. p. 3. n. 6. Adde, quod in casu, licet Minister habeat falsum conceptum clarum, & explicitum Filii; habet tamen verum etiam conceptum Filii, sed implicitum, & confusum posito, quod intendat facere, quod Christus instituit: v. Croix n. 63. Et hinc est, quod privatus error internus Ministri neque impedit debitam intentionem; nam illa intentio generalis faciendi, quod Christus instituit, est prævalens, absoluta, & efficax, cum hæreticus non habeat voluntatem administrandi Sacramentum secundum suum particularem conceptum, nisi ex suppositione, quod verus sit, & Christi institutioni conformis: ita Suar. Con. Laym, & Pal. n. 8. & colligitur ex Trid. sess. 7. can. 4. de Bapt. *Si quis dixerit; Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, anathema sit.*

CAPUT III.

De cæteris requisitis ex parte Ministri ad validam, & licitam Sacramenti consecutionem.

GENERALITER loquendo (uno excepto matrimonio, quod sequitur leges contractus) saltem ad licitam
R. P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III. C tam

tam Sacramenti administrationem, requiritur in Ministro jurisdictio, five ordinaria, five delegata, cum proprium fit Pastoris Sacramentorum pabula ovibus dispensare. Dixi: *Saltem ad licitam, &c.*; nam in Sacramento poenitentiae requiritur etiam ad validam ejus administrationem, cum absolutio Sacramentalis fit ex divina institutione actus judicialis, & invalida sint acta Judicis, si jurisdictionem non habeat.

Hinc requiritur primo, Ut praeter potestatem derivatam à Christo Domino, habeat etiam ab Ecclesia facultatem administrandi Sacramentum. Hinc graviter peccat Episcopus Ordines conferens etiam subdito proprio, sed in aliena Dioecesi sine illius Episcopi facultate: peccat simplex Sacerdos conferens alienis ovibus propria auctoritate Sacramenta: peccat laicus baptizans extra necessitatem: peccant omnes, qui per censuras, vel per statuta Ecclesiae privati sunt jure, vel usu administrandi Sacramenta, si illa administrent.

Requiritur secundo, Ut servet in Sacramentorum administratione ritum ab Ecclesia, vel universali consuetudine praescriptum; aliter peccabit graviter, vel leviter juxta materiam.

Requiritur tertio, Per se loquendo, ad cujusvis Sacramenti licitam administrationem status gratiae in Ministro, ita ut mortaliter peccet, quicumque Sacramentum in peccato mortali conficit, five sit specialiter ordinatus, five non ad talis Sacramenti confectionem, ita Croix n. 91. cum D. Th. q. 64. a. 6. Catech. Rom. Nav. Dur. Ang. Hurt. Bas. Pont. Vasq. Lug. Pal. & aliis, Primo contra nonnullos apud Moyam r. 1. t. 4. q. 1. §. 1. dicentes, probabile esse, quod non fit mortale à quocunque Sacramentum conficiatur, quae sententia improbabilis reputatur à Ledesm. Turr. Leand. Dian. Secundo, contra Cajet. Suar. Val. Con. Bonac. Præp. Sanch. Jann. Averf. Escob. & plures alios docentes, esse mortale: si Minister Sacramentum conficiens in peccato sit specialiter ad id ordinatus: in alio vero, qui ad hoc ordinatus non est, esse veniale. Tertio, contra alios, qui dicunt, fore veniale tantum, etiam in specialiter ordinato ad Sacramenti confectionem, si illud non conficiat solemniter. Quarto demum contra aliquos Scotistas, & Canonistas docentes, nullum peccatum esse, si Minister nec sit specialiter ad id ordinatus, nec faciat solemniter, ut esset laicus privatim baptizans.

Per-

Porro nostra assertio probatur: Primo, Auctoritate Sanctorum Patrum apud Suar. disp. 16. sect. 3. qui absolute id asserunt de Ministro indigno, non distinguentes inter ordinatum, & non ordinatum, inter solemniter, & non solemniter ministrantem: &, quamvis tantum in genere dicant, peccari; ex materiae tamen gravitate satis innuunt peccari mortaliter. Probatur secundo ratione intrinseca, quia Minister Sacramenti ex dictis quaest. praeced. agit nomine Christi, cujus principaliter est actio illa, qua Sacramentum conficitur, & insuper immediate per propriam actionem insluit in Sacramentum, & consequenter cooperatur Deo in sanctificationem animarum; videtur autem gravis irreverentia erga res Sacras, & Deum ipsum haec agere in statu divinae inimicitiae, quia sic Minister se pessime difformat a dignitate rei, quam peragit, & a Sanctitate illius, cui cooperatur.

Dixi, *Per se loquendo*; nam, si adsit necessitas absolvendi e. g. moribundum, nullum peccatum est, ut habet D. Th. cum communi, teste Dicast., nam jus divinum, & charitas magis obligat ad succurrendum proximo in necessitate spirituali, quam ad attendendam reverentiam Sacramenti, contra quam non agitur in ea necessitate. Sicuti ex Dicast., quamvis, per se loquendo, irreverenter se gereret famulus erga Dominum, si tecto capite ante illum transiret; attamen, si filium Domini submergendum videret, nisi tecto capite ad eum e naufragio eripiendum procurreret, nullam in Dominum irreverentiam committeret, sed potius culpandus esset, si non ita faceret. Addit Moya, idem dicendum esse, si Confessarius non possit se tam cito disponere ad contritionem, & absolutionem differendo incurret gravem notam, vel infamiam; haec enim necessitas etiam videretur eum excusare.

Ex dictis infero, peccare mortaliter I. Baptizantem in mortali, etiamsi sit laicus: II. Sacerdotem consecrantem in mortali; quod, si in mortali etiam communicet, est aliud specie peccatum, quod evitaret, si ante communionem contritionem eliceret, & tunc in confessione sufficeret dicere *Consecravi in mortali*; in priori tamen casu deberet dicere *Consecravi, & communicavi*, vel uno verbo *Celebravi in mortali*. Quod, si post consecrationem incideret in mortale, & in eo sibi ipsi daret communionem, committeret peccatum specie diver-

sum ab eo, cui communio daretur ab altero, quia est diversa malitia indigne suscipere, & indigne ministrare Eucharistiam: Lug. Avers. Dicast. apud Croix n. 93. quare consecrans, & postea seipsum communicans quadruplicem diversam malitiam contrahit, quia nimirum Eucharistiam in mortali: Primo conficit: Secundo ministrat: Tertio ministrat indignis: Quarto suscipit indignus. Probabile tamen est, secundam malitiam, quia indignus ministrat, non esse mortalem: v. Croix n. 94. III. Confessarium in mortali absolventem. An autem toties, quoties absolvit; etiam si continuate confessiones audiat, dicetur in Tract. de Pœnit. IV. Episcopum consecrantem alium Episcopum, vel conferentem Ordines minores in mortali, supposito, quod tam Episcopatus, quam Minores Ordines sint Sacramentum, ut multi de Episcopatu, & communis sententia de Minoribus Ordinibus docet. V. Contrahentem matrimonium in mortali, non solum, prout est suscipiens, sed etiam prout est ministrans Sacramentum, juxta dicenda in Tract. de Matrim.

Inferes præterea, Ministrum Ecclesiæ non peccare mortaliter, si in mortali obeat quascunque alias functiones sacras, etiam si sint exercitium alicujus Ordinis (dummodo non sint actiones, quibus conficiatur aliquod Sacramentum) ut sunt Consecratio Chrysmatis, Calicis, &c. facta ab Episcopo, vel collatio primæ tonsuræ, vel solemnis benedictio nuptiarum facta à Sacerdote, & similia: Henr. Sot. Suar. Val. Con. Bonac. Vasq. Laym. apud Pal. p. 6. n. 2., qui hanc sententiam probabiliorē existimat; quia neque ex muneris sanctitate, & dignitate, neque ex deputatione ad illius exercitium videtur colligi, gravem irreverentiam esse ea exerceri in peccato mortali. Peccant tamen venialiter, qui in mortali obeunt munia Sacro Ordini adnexa. ita Lugo contra Vasq. quia videtur esse aliqua irreverentia in statu peccati mortalis exercere ea, quæ specialiter requirunt Ordinem Sacrum. Hinc non nisi venialiter peccat Episcopus in mortali solemniter benedicens populum, vel Sacerdos solemniter benedicens nuptias, vel Diaconus, aut Subdiaconus solemniter exercens proprium Ordinem. Quod, si functiones non sint adnexæ Ordini Sacro, ut est assistentia Parochi, vel alterius Sacerdotis de licentia Parochi ad matrimonium, ministratio ampullarum in Missa solemnī facta ab Acolytho, exercitium non solemne Diaconatus, vel Subdiaconatus, &c.

Bernal.

Bernal. & alii docent, nullum peccatum committi: Averfa tamen dicit, committi veniale: v. Croix n. 99.

Quæres primo, An in administratione Sacramentorum licite Minister utatur sententia tantum probabili?

Respondeo, Mortaliter peccare, qui in conficiendo Sacramento sequitur sententiam tantum probabilem de ejus valore, relicta tutiore. Est certum ex Propof. prima proscripta ab Innoc. XI. quæ sic habet: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi: hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, & Episcopalis:* Ratio est, quia exponitur Sacramentum periculo nullitatis: unde, sicuti gravis irreverentia est contra Sacramentum, adeoque peccatum contra Religionem Sacramentum frustrare, seu nulliter conficere; ita exponere se periculo nulliter faciendi Sacramentum: in moralibus enim facere, & exponere se periculo faciendi idem censetur. Ex qua ratione generali pro omnibus Sacramentis sequitur, peccare mortaliter Ministrum, etiam si Sacramentum administrandum non sit necessarium ad salutem. Potest etiam tale peccatum esse mortale contra charitatem, quia sic conferens Sacramentum exponit suscipientem periculo carendi fructu Sacramenti. Demum potest esse mortale contra justitiam, si scilicet Minister teneatur, aut gerat vices illius, qui tenetur ex officio, vel contractu Sacramentum ministrare, quia tunc in se suscipit obligationem illius. Imo Jo. Sanch. Rhod. & alii putant, contra Dicast. quemcunque Ministrum utentem probabilibus, omissis certis, peccare contra justitiam, quia hoc ipso, quod ministrare vult, tacite se obligat ad sic ministrandum, ut res exigit, & pro jure suo sibi ministrari vult suscipiens, qui omnino vult, sibi adhiberi certa, petiturus ab alio, si sciret, ab hoc adhiberi tantum probabilibus omissis certis. Dixi, Ministrum peccare mortaliter, si sequatur sententiam probabilem *De valore Sacramenti*, relicta tutiore; nam, si sequatur sententiam probabilem, non de valore, sed solum de modo ministrandi, non peccat: ita cum communi Gard. & Gorm. apud Croix n. 121.

Ex dictis sequitur primo: peccare graviter etiam suscipientem, si sequatur opinionem tantum probabilem de valore Sacramenti pendente ab ipso relicta tutiore,

cum sic etiam ipse exponat Sacramentum periculo nullitatis; &, quamvis Decretum Inn. XI. expresse loquatur de solo conferente; tamen idem est de suscipiente. ita Card. Gorm. aliique communiter contra Vasq. Dian. & Hoesz. Hinc, quamvis non sit formaliter damnatum, quod suscipiens, licite sequatur opinionem probabilem relicta tutiore dici tamen decet virtualiter damnatum, cum legitime inferatur ex propositione damnata: Croix n. 105.

Sequitur secundo, graviter peccare, qui in conferendis, vel suscipiendis Sacramentis adhibet extra necessitatem materiam, vel formam dubiam, vel tantum probabilem, seu dubie, aut probabiliter tantum validam. Dixi *Extra necessitatem*; nam in necessitate, quando scilicet Sacramentum conferri, & suscipi debet, nec potest practicari opinio tutior, quia necessitas non subditur legi: sic si Judæus moribundus baptismum peteret, nec adesset alia aqua, nisi tantum rosacea, quæ est materia dubia, posses, imo deberes in ea baptizare, saltem sub conditione, quia in tali casu non libere omnino omitteretur materia tutior, sed ea haberi non posset; & necessitas illa, ac periculum æternæ damnationis illius hominis faceret, ut non esset irreverentia exponere Sacramentum periculo nullitatis: Card. & alii communiter. Addit Schild. *de Consc.* t. 6. n. 2. quod, quando adest magna causa conferendi Sacramentum, quia, v. g. agitur de peccatore justificando, qui alia vice non facile redibit ad confessionem, nec sinet, se adduci ad renovandam præparationem, possit absolvi sub conditione, *Si est dispositus*, quamvis dubitetur de valore absolutionis, quia talis spes gratiæ per Sacramentum causandæ videtur prævalere obligationi non conferendi Sacramentum cum periculo nullitatis. Idem innuere videtur Arriaga d. 20. n. 1. dicens, excusare fortasse etiam utilitatem, cui in tali casu videtur esse conjuncta etiam quædam necessitas.

Sequitur tertio, tam conferentem, quam suscipientem Sacramentum licite sequi opinionem moraliter certam, omitta tutiore de valore Sacramenti. Ratio est; quia moralis certitudo excludit omne prudens dubium de nullitate Sacramenti: hinc licite Fideles cum sola attritione supernaturali accedunt ad suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, quamvis tutior sit sententia docens, requiri contritionem. Et hinc ulterius sequitur, quod
liceat

liceat operari secundum sententiam probabilem, etiam quando agitur de valore Sacramenti, quando aliunde advenit practica certitudo, quod Ecclesia suppleat, aut dispenset in aliquo ad valorem Sacramenti requisito: quod præcipue contingit in Sacramentis Pœnitentiæ, & Matrimonii. Hinc

Fit primo, quod, quando habetur error communis de jurisdictione, seu potestate alicujus, sive ordinaria, sive delegata ad aliquid faciendum; tunc, si adfit titulus coloratus, seu putativus; v. g. si ad tale munus destinatus aliquis sit à legitimo Superiore, quamvis ob latens aliquod vitium jurisdictione, aut potestate illa careat; tunc certum est, quod Ecclesia, si possit, suppleat, vel dispenset. Patet ex cap. *Infamis*, *caus.* 3. q. 7. & 1. *Barbarius*, ff. *de officio Prætoris*. Et ita communissime Doctores cum Sanch. *de Matr.* 1. 3. d. 22. estque nunc certa omnium Theologorum sententia, inquit Spor. *de Pœnit.* n. 714. quia ita postulat officium supremi Principis, & utilitas communis ad vitanda gravia incommoda, & inconvenientia. Neque in tali casu requiritur bona fides, aut error in eo, qui ponit actum, neque in illo, circa quem ponitur actus, ut docent Sanch. Bon. Pal. contra Bald. Tiraq. Lop. & alios, quia jura ex motivo utilitatis publicæ ita disponunt in errore communitatis, & non ob errorem hujus, vel illius hominis. Peccat tamen secundum omnes, qui ita usurpat jurisdictionem, quam scit, se antecedenter non habere, cum id sit ab Ecclesia prohibitum: Croix n. 114. Quod si adfit error communis, sed desit titulus coloratus, ut si quis communiter putetur esse verus Parochus, sed in Parochiam ingressus sit sine titulo, & auctoritate legitimi Superioris, sit tamen in possessione sui officii, seu putatæ jurisdictionis, adhuc docent Jo. Sanch. Pont. Schil. & alii duodecim cum Dian. p. 2. tr. 16. ref. 43. Ecclesiam supplere, quia hic etiam militat ratio boni communis. Contradicunt tamen Suar. Fagund. Less. Regin. Con. Bonac. Sanch. Card. & alii, quia jura, quando id statuunt, semper faciunt mentionem auctoritatis Superioris, quæ intervenire debuerit. Pal. Tamb. & alii utramque sententiam dicunt esse probabilem. Secunda ut communior, ita etiam est probabilior: v. Croix n. 115.

Fit secundo, quod, præscindendo ab errore communi cum titulo colorato, quando habetur opinio probabilis

e. g. pro jurisdictione, vel absentia impedimenti, tunc etiam Ecclesia supplet, vel dispensat, si possit. Et hoc in praxi tutum, & moraliter certum esse, dicunt Sanchez, Verric, Dicast, Tambur. Card. Ills. Spor, & Gob. Ratio est, quia hæc est sententia communissima, ut ait Croix n. 117. idque scit Ecclesia: si ergo non improbet, cum facile posset, ideoque deberet; jam certum est, in hoc casu dari jurisdictionem, si forte desit, vel dispensari in impedimento, si forte hoc adsit; v. Croix n. ibid. & 118.

Fit tertio, quod, quamvis agatur de valore Sacramenti, neque sit casus absolutæ necessitatis, neque Ecclesia possit supplere, aut dispensare; nihilominus licitum est operari secundum sententiam probabilem, si alioquin administratio, aut susceptio Sacramentorum fieret obnoxia nimis scrupulis, aut difficultatibus: ita multi Doctores cum Illsung. Ratio est, quia certum est, Christum Dominum non ita instituisse Sacramenta, ut voluerit eorum administrationem, ac susceptionem esse moraliter impossibilem, & odiosam fidelibus ministraturis, aut suscepturis; ergo certum est, quod administratio, aut susceptio Sacramentorum obnoxia nimis scrupulis, & difficultatibus non sit secundum institutionem Christi: ergo, si non sit alius modus vitandi talem administrationem, aut susceptionem, nisi operando secundum sententiam tantum probabilem, licitum erit secundum hanc operari: aliter non posset baptizari infans, quem Parentes dicunt, non esse baptizatum, quia tale testimonium, cum sit fallibile, non facit, nisi probabilitatem: item absolvi non posset, qui putatur probabiliter dispositus; imo vix ullus unquam absolvi posset extra mortis articulum, ut notat Carden. quia vix unquam habere possumus certitudinem de dispositione poenitentis.

Quæres secundo, Quandonam, & quomodo Minister reiterare debeat Sacramentum?

Respondeo, Quando adest prudens dubium de valore Sacramenti, sive sit dubium juris, sive facti, reiterandum esse sub conditione, maxime Sacramentum Baptismi, & Ordinis Sacerdotalis, ex quorum nullitate multa, & gravia sequerentur incommoda: &, si sæpius occurrat nova causa prudenter dubitandi de valore Sacramenti jam sæpius collati, potest, & debet sæpius sub conditione iterari. Quod, si moraliter certum sit, Sacramentum fuisse invalidum, debet absolute, & sine

conditione illud conferri. Si vero nulla fit prudens causa dubitandi de Sacramenti valore, sed solum oriuntur leves scrupuli, ne conditionate quidem iterandum est. Hinc, qui judicare debet, se recte confecisse Sacramentum, e. g. recte pronunciasse formam, per se loquendo peccat mortaliter formam repetendo, quia judicare debet, se repetendo nihil effecturum: unde repetere, ac si velit repetendo aliquid efficere, erit illudere institutioni divinæ. Debet autem judicare, se recte confecisse Sacramentum ille, qui tantum leviter dubitat, inaniter suspicatur, aut timet, & nescit, cur timeat, eo quod non occurrat motivum prudens, sed solum hoc, aut simile. *Fortè male pronunciavi: Possùm male pronunciaſſe: Noſcìo reflexe, me bene pronunciaſſe, &c.* Verum Leau. Tamb. Gob. Spor. excusant à mortali illos, qui, ut liberet se à moleſto ſcrupulo, repetunt ita formam ſub conditione, quia, cum agant ex metu, ne offendant Deum, non videtur gravis irreverentia contra Sacramentum, ſed tantum levis ex imprudentia. Addit Gob. poſſe multos ſic repetentes excuſari ab omni peccato, quia ſæpe non apprehendunt inanitatẽ ſui ſcrupuli; & quia ſunt perplexi, timentque adhuc magis peccare, ſi non repetant, & quia non habent tempus examinandi rem abſque ſuo rubore, & aliorum tædio, putant potius faciendam eſſe repetitionem. Tenentur tamen antecedenter ſibi formare judicium, quod non ſit opus repetere, & illi ſtandum eſt poſtea, contempto omni timore. Plura vide apud Croix à n. 123. ad 132.

Quæres tertio, An, & quando teneatur Miniſter Sacramenta miniſtrare?

Reſpondeo primo, Qui ex officio eſt Paſtor, tenetur ex juſtitia ſuis ſubditis, etiam extra gravem neceſſitatem, rationabiliter petentibus miniſtrare: tum quia ad hoc ſe obligat, qui aſſumit officium Paſtoris: tum quia intercedit contractus, vi cujus accipit ſtipendium, vel ſuſtentionem, vel ſaltem honorem à ſubditis, ſub onere præſtandi ea, quæ ſunt Paſtoris, inter quæ præcipuum eſt miniſtrare Sacramenta. Sunt Paſtores reſpectu Secularium Episcopi, Parochi, & cum ipsis curam ſubſidiariam habentes ex obligatione; reſpectu Religioſorum Superiores. Peccat igitur Paſtor, ſi exhibendo ſe nimis moroſum, & difficilem, ſubditos abſterret, quo minus Sacramenta petant; hoc enim eſt æquivalenter Sacramenta

menta negare: sicuti peccaret etiam Parochus, si renueret Eucharistiam pro Communionem deferre ad ægros petentes etiam extra mortis articulum, maxime in Festis solemnioribus. Non erit tamen mortale semel, aut iterum negare petenti extra necessitatem, & absque extraordinaria causa, quia non censetur subditus graviter invitatus, cum agatur de damno facile alias supplebili.

Respondeo secundo, Minister, qui non est ex officio Pastor, non tenetur ex iustitia Sacramenta ministrare; tenetur tamen ex charitate etiam cum vitæ suæ periculo Sacramenta necessaria ministrare in extrema necessitate: nam ex lege charitatis unusquisque tenetur succurrere proximo extreme indigenti.

Quæres quarto, An licite ministretur Sacramentum indigno, hoc est illi, qui valide quidem suscipiat, sed sine fructu gratiæ?

Respondeo negative, per se loquendo; quare grave peccatum est, per se loquendo, Sacramentum ministrare indigno. Est communis cum D. Thom. q. 80. art. 6. & Suar. d. 67. qui loquitur de Euch. sed eadem doctrina est facile applicabilis cæteris Sacramentis. Ratio autem est: Primo, quia lex naturæ obligat Dispensatorem ad fideliter, & juxta voluntatem Domini dispensanda bona illius, quæ in casu est, ut non conferantur indignis, juxta illud Matth. 7. v. 6. *Nolite dare Sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*: Secundo, quia virtus Religionis postulat, caveri irreverentiam, quam indigne suscipiens irrogat Auctori Sacramentorum, & Sacramento: Tertio, quia lex charitatis prohibet cooperationem ad peccatum proximi; & omnes hæ obligationes, cum sint in materia gravi, sunt graves. Hinc tenetur Minister attendere, an petens Sacramentum sit dignus, ita ut debeat prudenter præsumere, esse dignum, ut licite Sacramentum illi ministret: non requiritur tamen eadem diligentia, & præcautio pro omnibus Sacramentis, sed juxta naturam cujusque, & commune prudentium judicium. In Sacramento Pœnitentiæ requiritur exactior inquisitio dispositionis pœnitentis; tum quia Minister in hoc Sacramento agit partes Judicis; tum quia dispositio pœnitentis requiritur ad valorem Sacramenti. Idem dicendum in Sacramento Ordinis, utpote ordinato ad bonum non privatum, sed commune, ad quod procurandum specialiter obligantur Episcopi. In

Ma-

Matrimonio tenetur Parochus specialiter inquirere in impedimenta, quia ad id constituitur ab Ecclesia. In Baptismo adulti inquirendum est in ejus consensum requisitum ad valorem; & præterea in ejus fidem, spem, & attritionem, &c. In reliquis communiter quisque præsumitur dispositus, qui petit: nisi constet de opposito, ut ait Dicast. & Herincx.

Dixi initio responsionis, *Per se loquendo*. Nam quandoque excusant damnum ministrantis, infamia suscipientis, aliorum scandalum, & sigillum confessionis. Hinc resolves sequentes casus.

I. Peccatori publico, sive publice, sive privatim petat, sive sit simpliciter publicus peccator, sive tantum secundum quid, hoc est tantum respectivo ad præsentem, ordinarie negari debet Sacramentum; ita cum Sanctis Patribus apud Suarez, s. 2. docet D. Th. superius cit. Ratio patet ex dictis. Dixi *Ordinarie*; nam, si minaretur mortem, nisi Sacramentum sibi ministraretur, Suar. Bonac. Gob. Dicast. Escob. & alii contra Led. & alios docent, ministrari posse: si enim talem ministrationem excusat notabilis infamia occulti peccatoris publice petentis, ut mox dicetur, cur non excuset mors vel similis infamia ministrantis? dummodo non petatur in odium Fidei, vel in contemptum Religionis, vel Ecclesiæ, quia in hoc casu nunquam liceret. Idcirco notant citati Doctores, præceptum non ministrandi Sacramentum indigno non esse pure negativum, obligans semper pro semper, sed resolvi in affirmativum, nimirum in præceptum fideliter dispensandi. Quod, si peccator non sit simpliciter publicus, sit tamen notus plerisque præsentibus, non tamen omnibus, Suarez, & Bonac. dicunt, ei non esse negandum Sacramentum, quia petens retinet jus ad famam relate ad illos, quibus est ignotum suum crimen, & scandalum aliorum erit passivum tantum. Econtra Con. docet, esse negandum, cum sit peccator simpliciter publicus relate ad hos. Dicast. probabiliter dicit negandum esse, si unus tantum, aut alter ignoret. Si vero Titius sit publicus peccator hic Neapoli, non Romæ, ubi supponimus prorsus ignotum ejus crimen, & Romæ petat Sacramentum, Valq. Tagund. & alii apud Dicast. dicunt, ei non esse negandum, nisi probabiliter credatur, ejus crimen statim ibi esse divulgandum, sed probabiliter negari posse sine læsione charitatis docet Croix n. 140. cum Suar. Bon. Pal. & aliis.

II. Pec-

II. Peccatori publico in articulo mortis petenti non est negandum Sacramentum: ita cum communi Suar. quia quisque præsumitur se tunc velle disponere, & necessitas tollit scandalum, vel illud tollet Minister publicando pœnitentiam occultam moribundi, quod faciendum esse, putat Tambur. si ad eum deferenda publice esset Eucharistia.

III. Peccatori occulto publice petenti Sacramentum, non est negandum. Ita statuitur in Conc. Carthag. VII. ut refertur cap. *Placuit caus. 6. q. 2.* Idem habetur cap. *Si Sacerdos, de off. jud. ordin.* ubi Eug. I. Papa id confirmat exemplo Christi Domini non repellentis Judam à Sacra Communione, quem occulte noverat indignum. Idem docent D. Thom. & alii communissime, teste Dicast. Ratio potissimum desumitur ex infamia, quæ redundaret in petentem, vel ex scandalo aliorum, si Sacramentum negaretur, cum obligatio vitandi infamiam, & scandalum aliorum prævaleat obligationi non ministrandi Sacramenta indignis: quare in hoc casu Minister tantum permetteret illam indignam susceptionem Sacramenti, ne sit causa gravis infamiæ petentis, aut gravis scandali aliorum: v. Croix n. 144.

IV. Peccatori occulto petenti occulte negari debet Sacramentum; quia, cum per hoc non lædatur ejus fama, viget obligatio legis Naturæ, Religionis, & Charitatis. Excipiendum est semper, nisi Minister notitiam criminis haberet ex sola Confessione; tunc enim liquet, quod ne monere quidem illum posset, sed pergere deberet, ac si nihil sciret. Hinc Sanchez, *de Matr.* l. 3. d. 36. Valent. Layman. Dian. Escob. Lug. & alii recte docent contra Suarez, Vasq. Dicast. negari non posse, prætensis aliis causis, quia peccator satis adverteret, negari propter indignitatem suam, & sic tacite reprobaretur ipsi suum peccatum, quod esset frangere sigillum.

Quæres quinto, An liceat Ministro ob metum gravem simulare administrationem Sacramenti?

Respondeo negative; Nam Innocent. XI. damnavit hanc Propos. 29. *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.* Ratio damnationis est; quia simulare administrationem Sacramenti dicitur, qui profert formam Sacramentalem supra materiam

teriam sine intentione conficiendi Sacramentum: sed hoc continet gravem irreverentiam contra Sacramentum, cum sit abusus rerum Sacrarum, & quædam illusio Dei, & iufuper est mentiri factò in re gravi, cum exercite, & factò dicat, se baptizare, absolvere, &c. cum sciat, hæc omnia non fieri: ergo graviter peccat, quicumque hoc modo simulat administrationem. Quamvis autem exhibitio hostiæ non consecratæ pro consecrata non sit simulatio Sacramenti, quod ibi non est, & cuius nulla pars ibi ponitur; ea tamen non est licita ad vitandum scandalum; e. g. quia deest hostia consecrata pro Viatico dando moribundo, vel quia aliquis in Paschate non potest se disponere ad Communionem. Ratio est, quia sic hostia non consecrata exponeretur adorationi tum adstantium, qui committerent idololatriam materialem, tum ipsius communicaturi, qui, etsi sciat, illam hostiam non esse consecratam, susciperet tamen illam cum externa reverentia, ac si esset consecrata, & consequenter scienter committeret idololatriam saltem externam: utrumque autem est intrinsece malum. Quod si scandalum populi, vel infamia non potentis se disponere ad Communionem posset vitari per hoc, quod Sacerdos ex conventionem diceret tantum illa verba, *Corpus Domini nostri, &c.* & transfret hominem, hostiamque occulte reponeret in ciborio, hoc non videtur illicitum, ut notant Henr. Dian. Leand. & Moya.

Ex dictis sequitur: Primo, quod, quamvis damnatio non loquatur de quocunque metu, neque determinate de metu mortis, intelligenda tamen est de quocunque metu, & determinate etiam de metu mortis. Ratio est, quia, sicuti propositio damnata procedit indefinite, ita etiam indefinite procedit damnatio: ergo, cum propositio damnata possit intelligi, vel universaliter, vel particulariter, damnatio illi contradicens intelligi debet, tum universaliter, tum particulariter, ita ut verum sit, quod nullus metus gravis sit causa justa simulandi administrationem Sacramenti: Secundo, quod, quamvis damnatio expresse loquatur solum de simulatione administrationis; virtualiter tamen damnatur etiam simulatio susceptionis Sacramenti saltem transeuntis: est enim par ratio; cum æque sit de essentia Sacramenti transeuntis intentio suscipiendi, & intentio conficiendi; ideoque æque est contra reverentiam Sacramento debitam illusio DEI, &

reale

reale mendacium simulare administrationem, ac susceptionem Sacramenti.

QUÆSTIO III.

De Subjecto Sacramentorum.

QUÆ ad subjectum Sacramentorum pertinent, duobus capitibus complectemur, in quorum primo inquiremus, Quodnam sit subjectum capax Sacramentorum, & Quænam intentio requiratur? In altero Quænam dispositio?

C A P U T I.

Quodnam sit Subjectum capax Sacramentorum, & quænam Intentio in eo requiratur?

SOLUS Homo viator est subjectum capax Sacramentorum; idque, suppositis Principiis Fidei, certum, & evidens esse, dicunt Suar. Vasq. Gran. Ratio autem à priori est voluntas Christi Domini Institutoris Sacramentorum, quam colligimus, tum ex constanti Ecclesiæ traditione, tum ex consensu Theologorum teste Espera q. 22. Congruentia vero est, quia juxta ordinem præsentis providentiæ solus homo viator est capax primæ gratiæ, vel augmenti gratiæ; non autem Beati, vel Animæ in Purgatorio detentæ, quibus jam determinata est mensura gloriæ respondens gratiæ, quam in vita mortali habuerunt: multo minus sunt capaces damnati, utpote à Deo jam exterminati.

Quamvis autem solus homo viator sit capax suscipiendi Sacramenta, non tamen omnes sunt capaces omnium. Quilibet homo est capax baptismi: sed ad reliqua Sacramenta valide suscipienda requiritur Baptismus, excepta Eucharistia, quæ, cum sit Sacramentum permanens, non pendet ullo modo, quoad valorem, à suscipiente: si tamen eam susciperet non baptizatus, diceretur suscipere materialiter, non sacramentaliter: non secus ac si eam comederet aliquod animal irrationale. Et hæc satis dicta sint de subjecto Sacramentorum in genere: nam, quænam aliæ conditiones, & qualitates requirantur ex parte

parte suscipientis ad validam cujuslibet Sacramenti susceptionem, commodius explicabitur locis propriis.

Supereft nunc breviter explicandum, An; & quænam intentio requiratur in suscipiente, ut validum fit Sacramentum? Et sane, quod in adultis ad validam Sacramentorum susceptionem requiratur aliqua propria ipsorum voluntas, docent communiter omnes Doctores sequentes D. Th. q. 68. a 7. teste Suar. disp. 14. sect. 2. concl. 1. Ratio à priori est divina institutio, quam colligimus ex communi Doctorum consensu, & ex eo, quod videatur minus congruum, Christum Dominum pretium suæ Redemptionis velle communicare iis, qui, cum possint, nec minimam habeant voluntatem, ut illud sibi communicetur. Difficultas est de infantibus rationis usu carentibus; adeoque incapacibus in tali statu habendi aliquam propriam intentionem, seu voluntatem. De his ergo dicendum, quod in tali statu sint capaces aliquorum Sacramentorum, non tamen omnium. Quorum autem capaces sint, dicetur, cum de singulis Sacramentis fermo erit. Nunc breviter dico, capaces esse omnium Sacramentorum, præter Pœnitentiam, Extremam Unctionem, & Matrimonium; nam reliqua Sacramenta, exceptis tribus dictis, non postulant ex propria institutione, quod præcedat aliqua propria voluntas suscipientium: secus vero est de illis tribus; nam materia remota Pœnitentiæ sunt peccata actualia commissa, & proxima sunt actus liberi pœnitentis: materia remota Extremæ Unctionis sunt peccatorum reliquiæ, seu peccata venialia: Sacramentum Matrimonii fundatur in contractu, qui habetur per liberum contrahentium consensum. Horum omnium incapaces sunt infantes ante usum rationis, ut patet.

Videndum nunc, quænam intentio requiratur, aut sufficiat in adultis ad validam susceptionem Sacramenti?

Dico igitur primo: Requiritur intentio simpliciter libera, hoc est immunis à coactione absoluta, ut expresse definivit Innocent. in cap. *Majores de Baptismo*; & Concil. Carthag. III. cap. 34. *Dixi Simpliciter libera*, ut indicarem, voluntatem suscipientis non vitiari ex metu gravi, qui, quamvis voluntarium diminuat, non tamen tollit simpliciter libertatem, ideoque non facit, quod Sacramentum ex metu gravi susceptum non sit validum. Et ita expresse cum communi sententia docet Suarez, disp. 14. s. 2.

Dico

Dico secundo: Non est necesse, ut voluntas suscipiendi Sacramentum sit, vel actualis, vel actualis: sed sufficit, si sit habitualis, qualis est ex dictis q. præc. c. 2. voluntas aliquando habita, & non retractata: ita communiter Doctores. Ratio est; quia, cum Sacramenta instituta sint à Christo Domino in hominum utilitatem, congruum fuit, ut pro illorum valida susceptione sufficeret quælibet suscipientium voluntas.

Dices: in Ministro conficiente Sacramenta non sufficit intentio habitualis, sed requiritur saltem virtualis: ergo idem dicendum de suscipiente.

Respondeo, Disparitatem esse, quia Minister se habet ut agens nomine Christi, tamquam fidelis dispensator. &c. quod non verificatur, nisi intentio dirigat actiones Ministri: suscipiens vero se habet, ut patiens: non alia igitur necessaria erit intentio, nisi per quam censeatur velle pati, hoc est suscipere Sacramentum, ad quod sufficit intentio habitualis, & quandoque etiam interpretativa, ut mox dicemus.

Dico tertio: Aliquando, & in aliquibus Sacramentis sufficit intentio interpretativa. Dixi *In aliquibus*; nam ad Ordinem, & Matrimonium certum est non sufficere intentionem interpretativam; nam, cum ex una parte immutent statum suscipientium, & ipsis afferant gravia onera, & ex alia non sint media necessaria ad salutem; non potest ex volitione generali mediorum ad salutem argui voluntas suscipiendi dicta Sacramenta: v. Croix n. 173. & 174. Sic ad Extremam Unctionem sufficit interpretativa, uti tenent omnes; ideoque dari potest lapsus in amentiam, quamvis nihil fortasse sciverit de Extrema Unctione. Ad Pœnitentiam sufficere implicitam, & interpretativam, docent Rodr. Spor. Bosc. Con. Dicast. & alii apud Croix n. 171. dummodo pœnitens signo aliquo externo dolorem expressisset: quæ externa manifestatio doloris habere posset rationem confessionis, & accusationis sui ipsius, quæ est de essentia hujus Sacramenti, utpote instituti ad modum judicii. Ad Eucharistiam sufficere in moribundo interpretativam, præsertim, si antea confessus sit, quamvis à mente sit amotus, dummodo absit periculum irreverentiæ, docent Suarez, Con. Rhod. Lug. Aver. Bernal. Spor. Idem dicunt plures ex citatis Doctoribus de Confirmatione, quamvis hæc non soleat conferri sensibus destituto, cum non sit ita necessaria, & conferenda sit cum majori solemnitate

ab Episcopo. Demum ad Baptismum sufficere implicitam tantum, contentam scilicet in Contritione, vel Attritione, docent Con. Rhod. Compt. Dicast. Bernal. Haun. Gob. Spor. Bosco contra Suar. Averf. Lug. Arriag. Quare juxta hos Doctores posset Judæus, vel Ethnicus in periculo mortis baptizari, si probabiliter judicaretur habuisse saltem attritionem; quia in hac includitur votum fervandi omnia præcepta, & adhibendi omnia media necessaria ad salutem, & consequenter includitur voluntas suscipiendi Baptismum: v. Croix n. 168.

Ex dictis sequitur primo, Quod, quando sufficit consensus habitualis, conferri possit Sacramentum illi, qui, quando erat compos rationis, voluit, aut rationabiliter præsumitur voluisse Sacramentum, etiam si postea in amentia, vel phrenesi dicat, se nolle, quia hæc revocatio non est actus humanus, & liber: quare adhuc perseverat habitualiter prior voluntas humana, & libera. Ita Dian. p. 3. t. 4. r. 12. Averf. Gob. Quare in dubio, an antea voluerit Sacramentum, hoc conferendum esset sub conditione juxta Averf. & Jo. Sanchez.

Sequitur secundo, Quod, si quis ratione utens ore tantum renuat, corde tamen consentiat in Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, & Ordinem, valida sint hæc Sacramenta, si ipsi conferantur: in his enim Sacramentis nullum requiritur signum externum interni consensus, uti requiritur in Pœnitentia, & Matrimonio, ex superius dictis. Ita cum Bosco Croix n. 177.

C A P U T II.

Quæ dispositio requiratur in subjecto Sacramentorum?

QUÆ hætenus dicta sunt de intentione requisita ex parte subjecti, faciunt ad valorem Sacramenti. Discutiendum nunc superest, quid requiratur in subjecto adulto ad licitam, & fructuosam Sacramenti susceptionem? Quare

Dico primo: Ad recipiendum digne, & cum fructu Baptismum, & Pœnitentiam, præter voluntatem recipiendi Sacramentum non requiritur status gratiæ; sed sufficit dispositio Fidei, & Spei supernaturalis, saltem virtualis, & Attritionis pariter supernaturalis, quæ ad

R. P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III. D Ba-

Baptismum non requiritur, si illum suscepturus nullum personale peccatum commiserit, sed solo originali sit inquinatus. Ratio primæ partis est, quia hæc Sacramenta sunt per se, & primario instituta ad dandam primam gratiam; adeoque ad justificandos peccatores, & idcirco dicuntur Sacramenta mortuorum. Secunda pars, quoad actus Fidei, & Spei admittitur communiter ab omnibus cum Suar. *de Gratia* l. 8. c. 19. & eruitur ex illo Apost. ad Hæbr. II. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se Remunerator sit.* Si ergo debet credere, & Deum esse, & Remuneratorem esse, debet spem remunerationis habere, quia ob hanc spem Deum remuneratorem credit. Quoad Attritionem vero constat ex Trid. *sess. 14. de Pœnit. c. 1. Fuit quidem Pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato coinquinassent, quovis tempore ad gratiam, & justitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui Baptismi Sacramento abluvi petiissent:* idque probat ex variis S. Scripturæ locis. Sunt, qui putant cum Euseb. ad Baptismum fructuose suscipiendum posse per accidens sufficere dolorem virtuales, contentum scilicet in spe salutis æternæ in eo, qui esset invincibiliter oblitus peccati antea commissi, vel non cogitaret de obligatione præmittendi dolorem formalem. Sed Suar. Vasqu. alique cum Pal. p. 13. n. 7. communius contradicunt.

Dico secundo: Ad reliqua Sacramenta, per se loquendo, requiritur status gratiæ. Ratio est, quia, cum sint Sacramenta primario instituta ad dandum augmentum gratiæ (qua de causa dicuntur Sacramenta vivorum) debent supponere in suscipiente gratiam, cujus augmentum debent conferre. Dixi *Per se loquendo*; nam ex dictis qu. 1. cap. 4. Probabile est, posse per accidens causare primam gratiam in accedente ad ipsa cum invincibili oblivione peccati commissi, & cum attritione supernaturali. Pal. Con. alique apud Croix 21. 186. ad dignam susceptionem horum Sacramentorum, & præsertim Eucharistiæ, requirunt actum Fidei: at Suar recte negat, speciatim ad Eucharistiam requiri fidem actualem hujus mysterii: quare sufficere, inquit Lug. aliquem actum Fidei implicitum, & in confuso: additque, opus non esse anxari de hoc actu Fidei eliciendo; quia, si Fidem explicitam de Sacramentis habuerit, ut habere debuit, voluntas suscipiendi tale Sacramentum semper procedat à Fide saltem confusa, quæ recurrat intellectui; & idcirco

circo Amicus d. 4. n. 97. dicit, Fidem, & Spem prærequisitam ad Sacramenta vivorum includi in voluntate suscipiendi Sacramentum: utilissimum tamen est in praxi prædictos actus explicite præmittere.

Hinc sequitur primo, Quod, qui vult suscipere aliquod ex Sacramentis vivorum, si sentiat se gravatum aliquo peccato mortali, teneatur sub gravi prius se remittere in statu gratiæ. Si vult suscipere Eucharistiam, ex speciali præcepto debet præmittere Sacramentalem confessionem, ut dicetur in Tract. de Pœnit. d. 1. q. 1. c. 4. si quod ex reliquis Sacramentis vivorum, sufficiet status gratiæ, vel per confessionem Sacramentalem, vel per contritionem, cum nullibi extet quoad reliqua Sacramenta præceptum præmittendi restitutionem status gratiæ determinate per Confessionem Sacramentalem. Quod, si aliquis non posset conteri, per accidens in eo prærequireretur confessio.

Sequitur secundo, Ad principalem fructum Sacramenti, etiam Eucharistiæ, percipiendum non necessario requiri actualem devotionem, sed satis esse accedere cum aliis dispositionibus: Lug. Avers. Dicast. Tambur. apud Suar. d. 63. s. 3, & apud Amic. d. 4. n. 90. Ad alios tamen abundantiores effectus, & maxime ad gratias actuales tunc obtinendas multum confert actualis devotio, ut omnes fatentur: & idcirco Suar. & Amic. ad has gratias requirunt negationem distractionis; imo Rhod. putat, semper esse veniale, Sacramentum suscipere sine aliquo pio motu voluntatis: cui adhærent Gob. & Spot.

Sequitur tertio, Peccare mortaliter per se loquendo eum, qui Sacramentum suscipit cum obice, vel cum peccato mortali; quia, cum Sacramenta instituta sint ad significandam practice gratiam, qui hanc practicam gratiæ significationem impedit suscipiendo Sacramentum eum obice, vel cum peccato mortali, quasi illudit Deo, & abutitur institutione Divina in re maximi momenti. Qui vero Sacramentum suscipit cum veniali, nullo modo peccat, si sit habituale, quia non ponit obicem effectui primario: Suarez d. 7. s. 4. si vero veniale sit actuale, non peccat mortaliter, probabiliter tamen peccat venialiter: Sporer.

Dico tertio, Suscipiens Sacramentum debet esse liber ab omni excommunicatione, & interdicto personali, &

fufcipiens Ordinem, aut primam Tonsuram debet effe liber etiam ab omni irregularitate; unde etiam, qui eft in gratia, committeret grave facrilgium, fi Sacramentum fufciperet, non remota prius censura, aut irregularitate, quia ageret contra prohibitionem Ecclefie pofitam ex fine reverentiae erga res Sacras, & Divinas. Poffet tamen excufari ratione ignorantiae, aut gravis metus, ut dicitur in Tract. de Cenfuris.

Quæres primo, An Sacramenta omnia fite, hoc eft valide, fed cum obice fufcepta, remoto obice revivifcant ad caufandam gratiam?

Refpondeo affirmative cum D. Th. in 4. dift. 15. q. 3. a. 4. ubi, cum dixiffet, confessionem revivifcere, fublata fictione, addit, idem effe in aliis Sacramentis: D. Th. fequuntur Cajet. Arriag. Pal. Escob. aliique multi contra varios, quorum aliqui negant fimpliciter cuicumque Sacramento virtutem revivifcendi fublato obice; alii eam tribuunt foli Baptifmo; alii Baptifmo & Pœnitentiae dumtaxat; alii folum Baptifmo, Confirmationi, & Ordini; alii demum omnibus, una excepta Euchariftia. Sed noftra assertio pro omnibus Sacramentis, adeoque etiam pro Sacramento Pœnitentiae, fi potest effe validum, & informe, & pro Sacramento Euchariftiae faltem, quousque ut fint confumptæ species Eucharifticæ, probatur ex pluribus congruentiis. Nam omnia Sacramenta continent infinita Chrifti merita jam acceptata à Deo ad fines à Chrifto intentos: ergo, cum remoto obice apta fint movere in actu fecundo Deum ad dandam gratiam, de facto movebunt. Præterea Sacramentum valide pofitum, & est, & manet opus Chrifti tamquam principaliter agentis; quod vero gratiam non causet, unice eft ex defectu difpofitionis in fufcipiente: hac igitur pofita, gratiam caufabit. Demum institutio Sacramentorum, cum procefferit ab infinita Dei mifericordia erga homines, talis eft interpretanda, qualis maxime decebat Divinam Bonitatem, & Beneficentiam Chrifti erga homines, quæque magis aliceret ad refurgendum à peccatis: hæc autem omnia magis habentur, fi dicamus, Sacramenta omnia revivifcere ad caufandam gratiam. Quæ congruentia potiffimum militat pro Sacramentis irreiterabilibus; five fimpliciter, ut funt Baptifmus, Confirmatio, & Ordo; five fecundum quid, ut funt Extrema Unctio, quæ eft irreiterabilis durante eodem periculo mortis,

mortis, & Matrimonium, quod est irreiterabile vivente utroque conjuge.)

Quod dictum est de reviviscentia Sacramentorum ad causandam gratiam, dic etiam de reviviscentia quoad remittenda venialia, quæ fuissent remissa, si defuisset obex, & quoad remissionem pœnarum talibus peccatis debiturum; eadem enim ratio militat pro omnibus: v. Croix à n. 197. ad n. 205. Sermo hucusque fuit de Sacramentis fîcte, hoc est valide, sed infructuose susceptis; nam quoad Sacramenta fîcte, hoc est invalide (utrumque enim significare potest *ly fîcte*) suscepta, non potest habere locum præsens quæsitum, cum non possint reviviscere ad causandum suum effectum Sacramenta, quæ nunquam extiterunt.

Hinc inferes, Quod, si obex fuit tantum negativus, quatenus Sacramentum ideo præcise non causaverit gratiam, quia defuit aliquid necessarium ad hoc, ut Sacramentum gratiam causaret; si hoc ponatur, Sacramentum reviviscet: e. g. si adultus solo originali maculatus Baptismum susceperit sine actu Fidei, posito actu Fidei Sacramentum reviviscet: ita D. Th. q. 69. a. 10. & hanc esse sententiam communem, ait Croix n. 207. Quod si in tali adulto obex fuisset aliquod mortale commissum ante Baptismum, obex non removeretur, nisi posita attritione, quia hæc defuit ab initio, & ejus defectus impedivit effectum gratiæ. Quod si post Baptismum sine fructu susceptum commissum fuisset aliud mortale, tunc ad habendum effectum Baptismi requireretur, vel Contritio, vel Attritio cum Sacramento Pœnitentiæ, quia Baptismus non se extendit ad peccatum commissum post ejus susceptionem.

Quæres secundo, An liceat petere administrationem Sacramenti à Ministro indigno?

Respondeo primo, Nemini licere extra necessitatem extremam petere Sacramentum à Ministro non tolerato. Minister non toleratus est nominatim excommunicatus, & publice denunciatus, notorius percussor Clerici, publice, & nominatim suspensus, publice in perpetuum degradatus, publice irregularis per sententiam; Croix n. 210. Casus autem extremæ necessitatis esset, si quis esset moriturus sine Baptismo, aut Pœnitentia, vel juxta Escob. Dicast. & alios, si in eorum Sacramentorum defectu esset moriturus sine Eucharistia, aut Extrema Unctione, cum probabile sit, hæc Sacramenta posse per

accidens causare primam gratiam; & juxta Suar. si esset moriturus sine Eucharistia, etiam si non defuisset absolutio Sacramentalis. His igitur casibus exceptis non licet petere Sacramentum à Ministro non tolerato, quia Fideles prohibentur communicare cum illo; v. Croix num. 209.

Respondeo secundo, Ex causa rationabili, saltem quando deest alius, licere petere Sacramentum à Ministro tolerato, qui possit illud digne ministrare, quamvis praevideatur indigne ministraturus. Ratio est, quia ministratio Sacramenti de se sancta, & honesta est, quæ hic & nunc potest digne poni à Ministro, ut supponitur; & petens jus habet ad Sacramentum; ergo impediri non debet per malitiam Ministri; nec Charitas obligat ad cavendam peccatum proximi cum gravi incommodo proprio, quando ille, si vellet, posset cavere. Hinc peti poterit Sacramentum in gravi necessitate spirituali propria, vel alterius, pro quo petitur, si urgeat præceptum Confessionis, vel Communionis, vel Missæ audiendæ; si alioquin privandus quis esset magna utilitate, e. g. si non posset lucrari jubilæum, & ex Dicast. quando receptio Sacramenti ab hoc homine futura est illi utilior, vel commodior; imo ex Gob. quando sine aliquo incommodo non potest habere alium: sed intelligi juxta illud Croix n. 211. non qualiscunque utilitas, sed notabilis, nec qualiscunque commoditas, sed talis, quæ illum liberet à notabili incommodo: hinc, quamvis Suar. Arriag. Escob. putent, licitum esse petere à parato, vel se offerente, si alias deberet carere gratia Sacramenti, quæ est magnum bonum; alii tamen contradicunt, si bonum illud sit facile comparabile alio tempore: & idem sentiunt in casu, quo quis non posset lucrari indulgentias, si occasio lucrandi similes indulgentias sæpe recurrat.

Dixi, *Saltem, quando deest alius*, quia probabilius videtur cum Con. Escob. & aliis contra Valent. Præp. Dian. & alios, non licere, si commode haberi possit alius, quia charitas saltem in Deum suadet, ut impediat peccatum proximi, si facile impediri possit; v. Croix num. 212.

Notandum denique, quod, quamvis licitum sit petere Sacramentum à Ministro excommunicato, vel suspenso tolerato; ipse tamen non potest se ingerere, sed tantum poterit conferre, si rogetur, ut colligitur ex Extravag. *Ad evitanda scandala.*

Quæ-

Quæres tertio, An in suscepturo Sacramentum sit obligatio inquirendi in probitatem, & mores Ministri.

Respondeo negative, sed censendum esse bonum, quamdiu non probetur malus: Avers. Dicast. & alii communiter, ut etiam suadet communis Ecclesiæ praxis. Hinc cit. Doctores inferunt cum Suarez, Reg. Spor. quod, quamvis scires, Ministrum paratum, vel sese offerentem paulo ante peccasse, posses ab eo petere Sacramentum, quia posses præsumere, quod se dispositurus esset per contritionem. Limitant tamen aliqui, nisi constaret, illum esse consuetudinarium, aut semper esse in occasione proxima peccandi.

DISPUTATIO II. QUÆSTIO UNICA.

De Sacramento Baptismi.

A Sacramentis in genere ad singula in specie descendimus, quorum primum est Baptismus. Inquiremus hic I. Ejus Quidditatem, Virtutem, Institutionem, & Necessitatem. II. Agemus de Materia, & Forma. III. De Ministro. IV. De Subjecto.

CAPUT I.

De Quidditate, Virtute, Institutione, & Necessitate Baptismi.

Vox hæc græca *Baptismus* immersionem, vel intinctionem significat: cum igitur hoc Sacramentum conficiatur per immersionem, vel affusionem aquæ; hinc Baptismi nomen obtinuit. Ob varios tamen hujus Sacramenti effectus aliis etiam nominibus à PP. appellatum fuit, & præcipue Sacramentum Regenerationis, Fidei, Doni, seu Gratia, Unctionis, Illuminationis, Indumenti, & Sigilli, ut videre est apud Pal. tr. 19. p. 5. num. 1.

I. Definitur communiter à Doctores, cum Magist. in

4. d. 3. *Ablutio corporis exterior facta sub præscripta forma*

forma verborum: in qua definitione subintelligi debet *cum debita intentione*: nam stare potest, quod abluatur corpus sub forma verborum præscripta pro Baptismo, & Sacramentum non conficiatur, eo quod desit in abluente legitima intentio. Et hæc definitio est per materiam, & formam. Definitur insuper à Catech. Rom. 2. p. c. 2. per genus, & differentiam *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vite*, in qua definitione *Sacramentum* stat loco generis; reliqua verba loco differentiae. Dicitur autem Sacramentum regenerationis, quia ipso renascimur spiritualiter Christo, quatenus primam spirituales vitam, hoc est gratiam sanctificantem consequimur.

II. Hujus Sacramenti virtus ad triplicem effectum potissimum se extendit. Primo ad gratiam habituales remissivam peccati originalis, & omnium personalium, quæ sint commissa ante Baptismum, ut constat ex Trid. *sess. 5. in Decr. de Peccato Origin.* Unde etiam colligitur, per Baptismum remitti etiam omnia venialia: nam ibi non solum asserit, *Nihil damnationis esse iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem*, sed insuper addit, *Eos exuentes veterem hominem, & novum, qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculatos, puros, innoxios, ac Deo dilectos effici, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cæli remoretur.* Si autem per gratiam Baptismi non remitterentur venialia baptizatorum, non ita puri innoxii, & immaculati redderentur; quin ab ingressu Cœli retardarentur. Secundo extenditur ad remittendam totam pœnam æternam, & temporalem peccatis debitam. Colligitur manifeste ex nuper citato Trident. textu; si enim Baptismus non remitteret omnem pœnam peccatis debitam, aliquid esset in Baptizato, quod illum retardaret ab ingressu Cœli: Et clarius ex Flor. *in Decr. de Arm. Hujus Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis, & actualis: omnis quoque pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur: propterea nulla pro peccatis præteritis injungenda est Baptizatis satisfactio.* Tertio extenditur ad imprimendum characterem, quo Baptizatus redditur incapax denuo suscipiendi Baptismum, ut docet Flor. *in Decr. de Arm. & Trid. sess. 7. de Bapt. & idcirco in symbolo Nicæno fatemur Unum Baptisma in remissionem peccatorum.*

Quamvis autem Baptismus proprie dictus, qui scilicet sit Sacramentum, non sit, nisi unicus; unde ad Ephes. 4.

phes. 4. dicitur, *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma*; lato tamen modo, & minus proprie sumptus triplex est, Fluminis, Flaminis, & Sanguinis. Baptismus fluminis est Baptismus Sacramentalis, qui confertur in aqua elementari. Baptismus flaminis est perfecta ad Deum conversio per actum perfectæ Contritionis includentis in voto Baptismus fluminis, & illius vicem suppletis ex Trid. *sess. 14. cap. 4.* non tamen quoad omnes effectus, cum non imprimat characterem, nec deleat omnem reatum pœnæ, nec reddat hominem capacem cæterorum Sacramentorum, sed solum quoad remissionem culpæ. Dicitur autem Baptismus fluminis, quia procedit ab impulsu Spiritus Sancti, qui dicitur *Flamen*. Baptismus sanguinis est effusio sanguinis: seu mors pro Christi fide, vel pro vera virtute tolerata. Hic etiam Baptismus supplet vices Baptismi fluminis, seu Sacramentalis quoad remissionem omnis culpæ, & pœnæ, non tamen quoad imprimendum characterem; & sicuti Baptismus fluminis prodest tum adultis, tum infantibus, ita etiam Baptismus sanguinis, ut patet in SS. Innocentibus, qui coluntur ab Ecclesia, ut veri Martyres. Ut autem hic Baptismus sanguinis producat effectus suos in peccatore, aliqui cum Vasq. dicunt, prærequiri Contritionem, vel Dilectionem Dei super omnia: communius tamen alii docent, sufficere Attritionem. Et sane nullum peccatum remitti in præsentis Providentiæ ordine sine retractatione, certum est ex Trid. docente. *Pœnitentiam fuisse omni tempore necessariam ad remissionem peccatorum.* Neque ex eo, quod Martyri promittatur vita æterna illis Christi Domini verbis, *Qui me confitebitur coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*, sequitur, quod sine ulla retractatione peccatum actuale Martyri remittatur: nam etiam Baptismo fluminis, qui est Sacramentum, promittitur vita æterna illis verbis: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*; quamvis per Baptismus Sacramentalem non remittatur peccatum actuale nulli modo retractatum. Quod autem sufficiat attritio, suadetur ex eo, quod sufficit ad Baptismus; aliter enim salus non tribueretur martyri, neque hoc diceretur supplere vices Baptismi. Deberet tamen talis peccator conari contritionem, & confessionem præmittere, si pollet, ne se exponeret periculo damnationis æternæ, sequendo hanc sententiam probabilem, omissa tutiore. At, licet ad Baptismus

requiratur in adulto voluntas saltem habitualis istum suscipiendi; hæc tamen non requiritur ad martyrium; quare, si dormiens occidatur à Tyranno in odium Fidei, erit vere Martyr. Verum quidem est, quod, si fit in statu peccati mortalis, dum dormiens martyrium patitur, non justificatur ex ratione superius memorata. At communissime docent, Deum in præsentis providentiæ ordine non permittere, ut peccator occidatur in odium Fidei ante peccati retractationem saltem per attritionem supernaturalem. Probabile etiam est, Martyrem percipere fructum martyrii, quando patitur lethalem cruciatum: nec talis fructus consecutionem differri usque ad mortem: quare probabile est, non privari fructu martyrii eum, qui post susceptum lethale vulnus, vel aliud lethale supplicium, miraculose deinde à morte liberetur, ut accidit D. Joanni in ferventis olei dolium immisso, & Beatissimæ Virgini stanti juxta Crucem, tanquam martyrum Reginæ. Ratio est, quia, qui patitur cruciatus mortales, etsi liberetur à morte, dicitur mortuus in causa, æquum igitur videtur, ut non privetur fructu martyrii.

III. De Fide est, Sacramentum Baptismi (ut & cætera Sacramenta) institutum esse à Christo Domino, ex dictis disp. præced. Quandonam fuerit institutum, dubitatur. Alii cum D. Th. putant, quando Christus fuit in Jordane baptizatus: alii post Christi Domini passionem, quando dixit, *Euntes docete omnes gentes; Baptizantes eos, &c.* Probabilius tamen videtur esse, quod fuerit institutum ante Christi mortem, nam Joan. 4. habemus, plures baptizandos venisse ad Christum, quam ad Joannem, qui dixerat, se baptizare in aqua, Christum vero in Spiritu Sancto. Præterea in nocte ante Passionem instituta fuerunt Sacramenta Eucharistiæ, & Ordinis; dicendum igitur, quod antecederet institutum erat Sacramentum Baptismi, quod est janua cæterorum; temere enim, & sine ullo fundamento dicitur, quod Christus tunc dispensaverit cum Apostolis, ut susciperent Ordinem, & Eucharistiam ante Baptismum.

IV. Hoc Sacramentum, vel in re, vel in voto necessarium est ad salutem non solum necessitate præcepti, sed etiam mediis propter connexionem, quam habet, posita Christi institutione, cum æterna hominis salute. Præceptum vero obligans ad Baptismum non est solum naturale, quale adest relate ad quodcunque necessarium

ad

ad salutem, sed etiam positivum Divinum, latum nuper citatis verbis Christi: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes, &c.* Hoc autem præceptum obligat omnes, etiam Infideles, ad recipiendum Baptismum; cum primum commode possunt, saltem ad non diu differentem. Relate ad Infantes rationis usu carentes, hoc Præceptum urget Parentes, aut Tutores, quatenus illos obligat ad procurandum infantibus, qui sub ipsorum cura sunt, Baptismum: unde ad id tenentur non solum ex charitate, & pietate, sed etiam ex præcepto Baptismi: quare peccant, si per longum tempus absque causa differant, ex Sot. per duodecim dies: ex Ledesm. per quindecim. Tanta est hæc obligatio, ut licite possit homo adultus objicere se periculo mortis ad Baptismum suscipiendum, non tamen tenetur tale periculum subire, cum possit aliter salutem æternam obtinere, nempe per Contritionem, aut Charitatem perfectam: Croix n. 286. Addunt aliqui, non solum licitum, sed etiam præceptum esse, ut, qui aliter nequeat baptizari, petat se projici in mare, ut baptizetur, si advertat, se non posse actum Contritionis, aut perfectæ Charitatis elicere, quia tenetur anteferre vitam animæ vitæ corporali, & mors prævisa esset præter illius intentionem. Alii tamen contradicunt, quia videtur esse directæ occisio sui, quæ nunquam est licita.

CAPUT II.

De Materia, & Forma Baptismi.

CUM seorsim de materia, seorsim de forma agendum nobis sit, ut claritati semper consulamus; idcirco fit

§. I.

De Materia Baptismi.

MAteria Baptismi alia est remota, alia proxima. Materia remota est aqua naturalis, seu elementaris apta ad abluendum, ut definitum est in Concil. Later. relato in cap. *Firmiter*, de *summa Trinit.* & in Flor. de *Decr. Arm.* & in Trid. *sess. 7. can. 2. de Bapt.* & col.

& colligitur aperte ex illis verbis. Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Ratio hujus institutionis videtur esse, quia aqua est aptissima ad significandam animæ munditiem, & ex alia parte est omnibus pervia, ut hoc Sacramentum omnibus necessarium facile ministrari posset. Hinc apta materia Baptismi est aqua putei, maris, paludis, pluviae, &c. Item resoluta ex grandine, nive, glacie, licet accidentaliter immutata sit quoad colorem, saporem, aut odorem, ut aqua sulphurea, aut alteri corpori ita modice immixta, ut usum communem, & æstimationem aquæ non amiserit. Inepta vero est saliva, lacrymæ, sudor, cerevisia: item aqua sic permixta alteri corpori ut non sit amplius apta ad abluionem, nec vocetur communiter aqua, ut lutum, brodium, vinum lymphatum, jusculum, lixivium: item aquæ artificiales ex rosis, herbis, succisque expressæ: demum, nix, grando, aut glacies non resoluta. Quia tamen dubium est de pluribus ex dictis, an sint apta materia baptismi, ut de tenui cerevisia, de aqua rosacea, & aliis; hinc solum in necessitate licet illis uti; quamvis deinde repetendus sit sub conditione baptismus, extra necessitatem semper erit grave peccatum in dictis materiis dubiis baptismum conferre ex dictis disp. 1. q. 2. cap. 3. Idem dicendum de aqua extracta ex brodio carniū, vel piscium, vel ex luto, de collecta ex vaporibus ex olla emergentibus, & testaceo tegumento adhærentibus, necnon de aqua, quæ hyemali tempore ex parietibus, & lapidibus fluit, cum sint materiæ dubiæ: Porro humor fluens ex vite, & arbore non est aqua, sed succus.

Quæ hæcenus dicta sunt de materia Baptismi, intelligenda sunt de materia valida, quatenus ad validitatem Baptismi sufficit aqua naturalis, seu elementaris apta ad abluendum: at hæc non sufficit ad materiam licitam, hoc est, qua licite uti possit Minister saltem in baptismo solemnī; requiritur enim, & quidem probabilius sub gravi, ex *Clement. un. Bapt.* ut sit consecrata. Dixi, *Saltem in Baptismo solemnī*; nam in privato libere omitti posse aquam benedictam, docent Pasq. Quintan. Gob. tr. 2. n. 41. apud Croix n. 263.

Materia proxima est ablutio corporis baptizandi facta à Ministro, quæ habetur per contactum, quo aqua per actionem Ministri successive tangit corpus baptizandi, sive talis ablutio fiat per asperisionem, sive per infusionem, sive per immersionem unicam, vel trinam: quolibet enim

ex

ex his modis valide confertur baptismus: ut autem licite etiam conferatur, servanda est consuetudo propria cujuscunque Ecclesiæ: si tamen contra consuetudinem Diocesanam baptismus fiat per immersionem loco affusionis aquæ, Scot. Val. Dicast. Gob. probabiliter dicunt, esse veniale, quia hic ritus non videtur graviter præcipi, nec videtur esse notabilis mutatio. Ex præcepto etiam abluendum est caput baptizandi. Dixi ex præcepto; nam hoc non esse de necessitate Sacramenti, & ad ejus valorem certo sufficere abluionem cujuscunque partis principalis corporis, ut pectoris, scapularum, &c. docent Suar. Tann. Averf. Merat. & alii communissime contra Platel, & alios putantes, non esse certo validum baptismum, si alia pars corporis, quam caput abluatur: v. Croix n. 267.

Ex dictis inferens sequentia: Primo, Si aliquis immergat se in aqua, & alius proferat formam, non valet baptismus, quia non verificatur ablutio facta à Ministro; & idem dicendum, si unus abluit, & alter profert formam; econtra vero, si aliquem ipsemet adducam, & teneam sub stillicidio proferens formam, validus est baptismus, quia verificatur ablutio facta à Ministro proferente formam. Secundo, Si quis infantem alioquin moriturum sine baptismo projiceret in puteum proferens formam, valeret baptismus, quia esset vera immersio conjuncta cum forma. An id liceat, vide, quæ diximus in fine cap. præced. Hic addo Suar. Vasq. Rending. Gob. docere, quod liceat, si mors non multum acceleretur; & Diana, etiam si acceleratio futura esset magna: negant tamen, id esse licitum, Averf. Gorm. Laym. Dicast. Busemb. quia illa projectio esset directa occisio infantis: v. Croix, n. 264. Tertio, Quamvis plures Doctores non infimæ notæ censeant, etiam unam, aut alteram minimam guttam aquæ sufficientem esse ad Baptismum, dummodo motu successivo corpus baptizati tangat, putantes, esse veram abluionem, probabilius tamen oppositum docent Tol. Bonac. Laym. Con. & Pal. p. 3. n. 6. Idem sentiendum est de abluione facta in minima parte corporis, e. g. tantum in digito, non esse scilicet sufficientem ad baptismum, quia non videtur recte dici simpliciter lotus, qui lotus est tantum in digito. Quia tamen probabile est, abluionem, sive in minima quantitate aquæ, sive in minima parte corporis factam, sufficientem esse ad baptismum, solum in neces-

sita-

fitate licitum erit his modis baptizare, quando scilicet non possit alio modo tutiori baptismus conferri, & periculum sit, ne homo moriatur sine baptismo. Quarto, si perfundatur aqua homo vestibus, corio, vel utre connectus, quin aqua tangat immediate corpus, non valet baptismus, quia non homo, sed vestes, aut indumentum abluatur: Bonac. Laym. Pal. loc. cit. idem sentit ex communi Bonac. de abluto tantum in capillis, & de infante recenternato, & adhuc pelle secundina circumdato, qui abluatur tantum in pelle secundina, quia nec capilli, nec pellis secundina est pars corporis. Sed probabiliter, ut sentit Castrop, n. 7. & 8., oppositum docent Vasq. Tol. Val. Con. & Laym. unde solum in necessitate, ut nuper dictum est, licitum erit sic baptismum conferre.

§. II.

De Forma Baptismi.

FORMA Baptismi, qua Ecclesia Latina utitur, hæc est: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & manifeste colligitur ex illo Matth. cap. ult. Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ita omnes Doctores. Ex quo manifeste sequitur, quatuor necessario exprimenda esse in forma baptismi: Primo personam baptizantem: Secundo baptizatum, Tertio actionem baptizandi: Quarto Unitatem, & Trinitatem Divinarum, Personarum.

Circa primum, quamvis necessario exprimenda sit persona baptizans, non tamen est necessaria formalis expressio, sed sufficit implicita, ut manifeste probat usus Græcorum recte, ut omnes Catholici docent, baptizantium, sub ea forma, *Baptizetur, vel, ut ait Croix, Baptizatur servus Christi in nomine Patris, &c.* Hinc valet certo baptismus, si in forma Ecclesiæ latinæ omitatur pronomen *Ego*, dicendo *Baptizo te, &c.* quia in verbo *Baptizo* satis significatur pronomen *Ego*; imò dicti pronominis omissio non videtur venialem culpam excedere, secluso contemptu: Pal. Sot. Vasq. Com.; quod intelligendum etiam est de omissione particulæ *in, & amen.* An autem valeat baptismus collatus sub hac forma, *Baptizat te Deus, vel Christus; vel Baptizeris à Deo,*

Deo, vel Christo? est dubium. Negat Vasq. Affirmat Sot. Suar. Con. Laym., quia tali forma, stante actione baptizandi posita à Ministro, sufficienter exprimitur persona baptizans, ita ut sensus illius formæ sit: *Baptizet te Deus per me actionem baptizandi exercentem; v. Pal. n. 3. & 4.*

Alterum requisitum est expressio personæ baptizandæ; si enim illa neque speciatiim, neque generatim exprimitur, forma non habet sensum determinatum, & consequenter baptismus non valet: ut si diceres, *Egobaptizo, in nomine Patris, &c.* Advertendum hic est, unitatem numericam baptismi potius desumi ex unitate personæ baptizandæ, quam ex unitate baptizantis: hinc, si sub unica forma prolata in numero plurali, *Ego vos baptizo, &c.* plures ablueres (quod solum in necessitate licet) plures baptismos conficeres, quia plures essent abluiones, & forma, quamvis physice, & formaliter sit unica, virtualiter tamen est multiplex. Contra vero, si plures Ministri simul abluerent, & debita intentione simul proferrent formam supra unam, eandemque personam, unus conficeretur baptismus. Ut autem valeat baptismus collatus uni à pluribus Ministris, debet ex his unus independenter ab alio intendere baptismum illius; nam, si unus intendat conficere Sacramentum dependenter ab alio, non conficitur Sacramentum, quia mutatur sensus formæ à Christo institutæ; non enim esset tunc verum, te baptizare, sed te cum alio baptizare. Ita D. Th. Con. Vasq. Val. Suar. Bellar. Bonac. Laym. apud Pal. n. 7.

Tertium requisitum est expressio actionis abluendi provenientis à legitima intentione faciendi rem sacramentum à Christo: quæ intentio satis exprimitur, si actus abluendi exprimitur sub invocatione Trinitatis. Necessitas autem hujus requisiti, & simul primi, & secundi jam explicati constat nunc etiam ex propositione 27. præscripta ab Alex. VIII. *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus, in nomine Patris; &c. prætermisissis illis, ego te baptizo.*

Quartum, & præcipuum requisitum est expressio tum Unitatis Naturæ, tum Trinitatis Personarum Divinarum. Exprimitur Unitas sufficienter per *ly In nomine,* exprimitur Trinitas, dum additur, *Patris, &c.* Hæc Unitatis, & Trinitatis expressio debet esse explicita, & formalis, ut constat ex cit. Matth. loc. *Baptizantes. &c.*

Hinc

Hinc invalidus est, & semper fuit baptismus collatus in nomine Christi; quare, dum in *Act. Apost.* dicuntur Apostoli baptizasse in nomine JESU Christi, id non intelligendum est, quatenus omiserint Patrem, & Spiritum Sanctum, sed quatenus baptizaverint *In nomine Patris, & Filii Jesu Christi, & Spiritus Sancti*: aliter, cum Paul. I. *ad Corinth.* II. dixerit, omnes baptizatos esse in uno Spiritu, colligi hinc recte posset, quod baptismus ministratus fuerit, uno invocato Spiritu S. absque invocatione Patris, & Filii, quod est fallum: Pal. p. 5. n. II Invalidus pariter est Baptismus collatus *In nomine Dei, in nomine S. Crucis, in nomine trium Personarum, in nomine primæ, secundæ, & tertiæ Personæ*, cum non explicentur tres Personæ secundum proprietates relativas. Baptismus collatus *In nomine Genitoris, Geniti, & Spirati*, est dubius; nam plures cum D. Th. contra Cajet. apud Trull. docent, esse invalidum; alii vero putant, valere, quia habetur mutatio solum in verba synonyma, quæ ex dictis disp. I. q. I. c. 3. non est substantialis: validus est ex Trull. si dicatur, *In nomine Patris, Verbi, & Spiritus S.* Porro invalidus est baptismus collatus *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* vel si dicatur *Baptizo te cum Patre, Filio, & Spiritu S.* quia sub his formis non exprimitur Unitas Divinæ Essentiæ. Quod si dicatur *Baptizo te in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus S.* vel *in Deo Patre, Filio, & Spiritu S.* dubius est valor Baptismi. At si quis baptizaret *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. & Beatæ Virginis*, intendens invocare B. Virginem eodem modo, ac invocantur tres Personæ Divinæ, hoc est effective, seu ad efficiendum Sacramentum, invalide baptizaret, quia mutaretur sensus formæ institutæ à Christo; secus vero, si ob devotionem invocaret deprecatorie, intendens scilicet auxilium B. Virginis baptizato implorare.

CAPUT III.

De Ministro Baptismi.

MINISTER valide baptizans, & in casu necessitatis etiam licite, est quivis homo ratione utens, etiam si sit femina, vel excommunicatus, vel non baptizatus, dummodo saltem confuse intendat facere, quod facit Ecclesia. Ratio à priori est institutio Christi Domini

ni usu, & consuetudine Ecclesiæ declarata: congruentia talis institutionis est summa necessitas talis Sacramenti, ob quam, sicuti congruum fuit illud institui sub materia omnibus obvia, & sub forma facile ab omnibus perceptibili; ita congruum pariter fuit, ut cuilibet ratione utenti daretur potestas illud administrandi. Debet tamen necessario esse persona distincta à baptizato, ut colligitur ex verbis Christi, *Baptizantes eos, &c.* unde nemo potest se ipsum baptizare.

Minister vero ordinarius, qui non solum valide, sed etiam licite extra casum necessitatis baptizat, est Sacerdos, ut constat ex *Flor. in Decr. Eugen. cap. Firmiter.* & usu Ecclesiæ; & rationem affert D. Th. quia, sicuti vi suæ consecrationis Sacerdos accipit potestatem conficiendi in Eucharistia Corpus Christi verum, & reale, ita & efficiendi Corpus Christi mysticum, quod fit per collationem baptismi. Ut autem Sacerdos licite conferat baptismum solemniter, indiget facultate Episcopi, aut Parochi personæ baptizandæ, ad quos, utpote, Pastores animarum, proprie spectat aggregare homines Ecclesiæ Christi: & sicuti Sacerdos quilibet, quamvis in sua ordinatione recipiat potestatem absolvendi, ut tamen valide absolvat, indiget jurisdictione Ecclesiæ; ita etiam, ut licite baptismum solemniter conferat, indiget facultate Ecclesiæ, hoc est Episcopi, vel Parochi personæ baptizandæ. Hinc mortaliter peccat Episcopus vel Parochus, qui non subditum residentem in aliena Ecclesia sine licentia Episcopi, vel Parochi illius baptizat, quia aggregat Ecclesiæ hominem, cujus nullum regimen habet: Pal. p. 9. n. 2. & Con. Laym. Bonac. Sa. Aliis Clericis Sacerdote inferioribus non competit ex officio Baptismum ministrare. Solum Diaconis concedi potest facultas baptizandi solemniter in defectu Sacerdotum: ad quam tamen facultatem concedendam non requiritur extrema necessitas, sed sufficit rationabilis causa, qualis esset e. g. si ob infirmitatem, vel excommunicationem, aut baptizandorum multitudinem non posset Sacerdos baptismum conferre: quia id videtur exoptulare officium Diaconi, quod est Sacerdoti inservire: Vasq. Layman. Suarez, Pal. n. 5. Parochus vero Diaconus, & nondum Sacerdos potest jure ordinario etiam solemniter baptizare: Gob. t. 2. n. 139.

Quæres primo, An vi Bullæ Pauli III. concessæ Societati Jesu ann. 1545. & incipientis, *Cum inter cun-*
R. P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III. E. 61as

Etas sollicitudines, in qua hæc habentur, *Facultatem concedimus singulis Societatis Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & alia Ecclesiastica Sacramenta sine alicujus præjudicio ministrandi*, An, inquam vi hujus Concessionis liceat Religiosis Societatis Jesu administrare Baptismum?

Respondeo, In Regionibus Fidelium certo non licere, quia id cederet in præjudicium Episcoporum, & Parochorum. At in Regionibus Infidelium, distinguendum est: si ibi sint Ecclesiæ jam fundatæ, neque licet ob eandem rationem; si vero, ubi conferendus esset baptismus, non sit Ecclesia jam fundata, licet, quia tunc ministraretur baptismus sine alicujus præjudicio. vide Pal. p. 9. n. 3.

Quæres secundo, Quinam ordo servandus sit in ministracione Baptismi in casu necessitatis?

Respondeo, Servandum esse hunc Ordinem, ut minus dignus cedat digniori, & consequenter ut Sacerdoti cedat Diaconus, Diacono Subdiaconus, Subdiacono alii Clerici inferiores, Clerico Laicus, Viro Femina, & Laico non excommunicato Clericus, imo Sacerdos nominatim excommunicatus. Ita cum D. Th. q. 67. art. 4., & communi sententia, teste Pal. n. 9. Con. Suar. Vasq. An autem talis ordinis inversio in ministracione baptismi privati ratione necessitatis sit peccatum mortale? Non satis constat. Negat absolute Sot. dist. 5. q. unica art. 2. indicans, solum esse culpam venialem. Communis tamen sententia docet, esse peccatum mortale, si præsentem Sacerdote non renuente alius Clericus inferior, vel laicus baptizet, quia irrogatur Sacramento injuria, si, cum possit ministrari à Ministro ad id specialiter deputato, & consecrato, ministraretur ab alio: sic ut certum tradunt Suar. Vasq. Bonac. Laym. Con. At si præsentem Clerico laicus ministret, & præsentem viro femina, censent esse solum culpam venialem. Excipiunt tamen aliqui casum, in quo Paganus, vel Hæreticus baptizaret præsentem Catholicum, dicuntque, peccare mortaliter ob irreverentiam Sacramento factam: excipiunt alii Clericum, vel Laicum baptizantem, præsentem, & non renuente Diacono, cui sententiæ favet Pal. n. 13.

Notandum hic, quod patri, & matri prohibitum est baptizare propriam prolem: unde extra summam necessitatem quilibet alius, etiam femina præferendus est paren-

parentibus in administratione baptismi. Probabiliter tamen non privarentur jure petendi debitum, quamvis peccarent mortaliter, quia talis pœna in nullo textu reperitur expressa: Con. contra Villalob. Quod si infans nondum totaliter egressus ex utero matris baptizandus esset, tunc mulier præferenda esset cuicumque viro, etiam proprio Parocho, quia sic exigit honestas: Platel. p. 5. n. 143.

Quæres tertio, Quibus ritibus ministrandus sit baptismus sollemnis?

Respondeo, Ministrandum esse sub gravi, extra necessitatem, ritibus, & cæremoniis ab Ecclesia præscriptis, quæque habentur in Rituali Romano: quare extra mortis periculum grave peccatum esset aliquem domi baptizare, quia est contrarium ab Ecclesia observatum, exceptis Filiis, aut Nepotibus Regum, & Principum, qui, servatis aliis solemnitatibus, poterunt domi baptizari, ut habet expresse Clem. unic. *de Baptismo*. Nominem autem Principum Riccius, & Quintanad. intelligunt Magnates Hispaniarum, Comites, Barones, Legatos Regum; & Jordan. universim omnes habentes jurisdictionem temporalem: hinc in quibusdam diœcesibus, teste Gob. tr. 2. n. 402. ap. Croix n. 337., permittitur omnibus nobilibus administratio baptismi in Sacello domestico. Si licitum sit baptizare privatim, adhibendæ sunt cæremoniæ; quia absolute prohibetur baptismus sine cæremoniis, excepto solo casu necessitatis. Has sacras cæremonias ab Ecclesia præscriptas pro solemnibus administratione Baptismi ad tredecim numerat, & late explicat Pal. p. 12. Unum tantum hic expendemus, nimirum quod attinet ad designationem patrinorum: obligationem esse in Baptismo solemnibus adhibendi aliquam personam præter baptizantem, quæ baptizatum levet de sacro fonte, & illum sub sui tutelam suscipiat in Fide, & bonis moribus instruendum, constat ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine, & ex Trid. *sess. 24. cap. 2. de Reform. Matr.* Rationem hujus institutionis tradit D. Th. q. 67. a. 7. ex similitudine, quam habet Baptismus cum carnali generatione: nam, sicut infans recenter natus indiget nutrice, & pædagogo: sic spiritualiter renatus per baptismum indiget aliquo, qui gerat vices nutricis, & pædagogi, informando, & instruendo eum quasi novitium in Fide de his, quæ pertinent ad Fidem, & vitam Christianam: ad quam obligationem declarandam aliis etiam nominibus hoc munus obeuntem appellarunt

PP. & Doctores, nimirum Pædagogum, Fidei Doctorem, Fidejussorem, Sponsorem: Communiter tamen vocatur Compater, seu Patrinus. Parochus baptizans ex Trid. cit. inquirere diligenter debet, quinam sit à Parentibus, vel Tutoribus baptizandi designatus, ut illum levet de sacro fonte, nec procedere debet ad baptismum, quousque hic designatus non sit: in Parentum vero, vel Tutorum defectu designatio Patrinorum spectat ad Parochum.

Obligatio, quam suscipiunt Patrini instruendi baptizatos in Fide, & Doctrina Christiana. de se est gravis: hinc mutus ordinarie non debet esse Patrinus, quia non potest infantem docere res Fidei. Satisfaciunt tamen suæ obligationi, si baptizatum semel in Fide, & Doctrina Christiana sufficienter instruant, etsi postea comperiant eos esse oblitos, credendum quippe non est, talem obligationem urgere toto vitæ tempore, sed solum, quo tempore baptizatus rudis existit, & quasi parvulus pædagogo indiget: Con. Laym. Verum hæc obligatio raro urget Patrinos in Regionibus Fidelium, quia vix præsumi potest, quod baptizatus non sit instruendus à Parentibus, vel Tutoribus, vel Magistris; secus vero in regionibus infidelium, vel hæreticorum, maxime si Parentes baptizati sint infideles, vel hæretici: D. Th. Suar. Con. Laym. Val, Sa.

Quilibet rationis compos, dummodo sit baptizatus, exercere potest munus Patrini, exceptis publicis pœnitentibus, & moribus infamibus, & hæreticis. Monachis est interdictum tale munus: Monachorum autem nomine hic non venire Mendicantes, aut Canonicos Regulares, probabilius tenet Pal. p. II. §. 1. n. 4. Quintanad. tamen ap. Croix n. 354. putat, nunc, per se loquendo, licere in omnibus Religiosis, & Monialibus esse Patrinos, & Matrinas. Pro quolibet baptizando designari debet ex cit, Trid. text. unus, sive vir, sive femina; vel duo, vir, & femina; plures nec à Parentibus designari, nec à Parocho baptizante admitti possunt, ita ut grave peccatum dicat esse Pal. §. 2. n. 1. transgredi hoc Tridentini præceptum, quod sub gravi obligare ex eo colligit, quod Parochum plures admittentem Patrinos Ordinario puniendum subjiciat. In Baptismo non solemni non requiritur Patrinus; &, si adhibeatur, probabiliter non contrahit cognationem spirituales: Sanch. l. 7. d. 67. num. 15. Idem dicunt Bon. Quint. Gob. Gorm.

Gorm. ap. Croix num. 349. si baptismus conferatur sub aliqua conditione, quamvis sit solemnus, quia Patrinus videtur præcipi pro Baptismo solemnibus, qui sit certus, & absolutus. Si unicus adhibeatur Patrinus, potest masculus suscipere feminam, & e contra: Suar. Fill. Gob. & Aversa, qui proinde dicit, Procuratorem viri Patrini absentis posse esse mulierem, & e contra. Quamvis Urbanus II. prohibeat, duos conjuges simul levare infantem; Navar. tamen Vival. Sanch. Tamb. absolute putant, id licere; & Suar. March. Avers. & alii passim dicunt, illam constitutionem non esse usu receptam. Baptizans potest alium substituere, qui suo nomine baptizatum levet, cum nullo jure id prohibeatur. Potest Pater esse Patrinus filii sui illegitimi: Lug. Gob. apud Croix n. 355. Possunt plures assistere Baptismo veluti testes, & ad majorem pompam: Gob. Hinc, si plures à parentibus designati se ingerant, baptizans potest initio dissimulare; sed postea moneat, satis esse, si unus, vel unus, & una infantem tangat; vel si permittat: omnes tangere, designet tamen cum aliquo signo externo unam; vel unum, & unam, quibus solis tradit infantem baptizantem, non aliis, & illos tantum adnotet fuisse Paternos, reliquos fuisse testes: Croix n. 350.

Ut Patrinus vere sit talis, cognationemque spiritua-lem contrahat, requiritur, ut baptizatum de manu baptizantis immediate suscipiat, vel illum teneat, seu tangat manu (nec sufficit tangere uno digito: Croix n. 363.) dum baptizatur, quia textus hoc munus declarantes, cognationemque spiritua-lem statuentes, iis verbis utuntur. De cognatione spirituali, quam tum Patrini, tum baptizantes contrahunt cum baptizatis, eorumque parentibus vide in tract. de matrim. ubi de impedimento cognationis.

CAPUT IV.

De Subjecto Baptismi.

SUBJECTUM Baptismi capax est quilibet homo viator, etiam rationis usum nondum habens; imo, statim ac ex utero matris prodierit. Constat ex Trid. *sess. 7. can. 13. de Bapt.* & ex consuetudine Ecclesiæ, & colligitur ex illo Jo. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.*, quæ verba communia sunt infantibus, & adultis. Hinc se-

quitur: incapaces esse baptismi Satyros, seu penitos ex femina, & bruto, quia non sunt homines. Incapacia pariter baptismi sunt monstra, si non constet, ea habere animam rationalem. Si vero dubitetur, sicutne homines, an bruta, baptizanda sunt sub conditione; quod si certum fit, aliquod ex his monstris esse hominem, dubitetur solum, sitne unus, an duplex homo, quia habet duplex caput, aut duplex pectus; duplex Baptismus est conferendus, alter absolute in ea parte corporis, in qua perfectius caput, sive pectus apparet: alter conditionate in altera parte; Navarr. Comit. Laym. Bon. apud Pal. p. 6. n. 4. Dixi, *Statim ac ex utero matris prodierit*; nam infans in utero matris totaliter existens ex communi antiquorum sententia non est capax baptismi; quamvis Suar. Con. & alii putent, quod, si in aliqua sui parte ablui possit, saltem per fistulam, in casu necessitatis conferri possit, ac debeat baptismus, quia ad baptismi valorem putant, sufficere illam nativitatem, qua quis de non homine fit homo, dummodo ablui possit: non secus ac baptizari possunt, ac debent saltem sub conditione infantes, qui tantum exerunt manum, vel qui ex dissecto utero matris mortuæ vivi extrahuntur, quamvis non sunt nati nativitate rigorosa. Qui tamen in casu necessitatis baptizatus est tantum in manu, aut pede, baptizandus denuo est sub conditione post totalem egressum ex utero matris, quia aliqui dubitant de valore prioris baptismi; secus vero, si, postquam puer eduxerit caput, in eo baptizatus sit, juxta dicta cap. 2. & 3. hujus quæst. Fætus mulierum abortivi, etiam imperfectissime figurati, si dent aliquod vitæ signum, baptizandi sunt, quia aliqui Medici putant, foetum humanum post paucos dies à conceptione, v. g. tres, aut quatuor animari anima rationali.

Quæres primo, An baptizari possint filii infidelium, invitis parentibus.

Respondeo: Primo, si filii infidelium nondum rationis usum habentes invitis parentibus baptizentur, valide baptizantur, quia non baptizantur in fide, & voluntate Parentum, sed tantum Ecclesiæ: D. Th. 3. p. q. 68. n. 9. & omnes communiter cum Dicast. contra Palud. Sylv. Dur. & alios, quorum opinio communiter reputatur improbabilis, ut ait Croix n. 297. Secundo, Illicitum est baptizare filios infidelium non baptizatorum rationis usu carentes, invitis parentibus, etiamsi sint sub-

sub-

subditi Principis Christiani: quamvis ad licite baptizandum non requiratur consensus utriusque parentis: sed sufficiat consensus alterius. Ratio primæ partis est, tum quia id est contra usum, & prohibitionem Ecclesiæ; nam Julius III. teste Pignat. t. 4. conf. 192. imposuit tali baptizanti pœnam suspensionis: & multam 100. ducatorum; tum quia Pater habet jus in Filium, cum Filius sit aliquid Patris, adeoque male ei subtrahitur: quod si relinquatur in Patris potestate, fit injuria Sacramento propter periculum apostasiæ; & ita communiter tenent Doctores contra Scot. Gabr. & alios. Ratio secundæ partis est, quia, cum consensus, permittentis baptismum sit in favorem Fidei, & alter Parens irrationabiliter neget, jure, meritoque prævalere debet consensus prioris. Dixi primo, *Infidelium non baptizatorum*; nam filii hæreticorum, & apostatarum licite baptizantur invitis Parentibus: ita communiter Doctores; quia, cum Ecclesia habeat jus in ipsos Parentes, eosque possit ad fidem cogere, aut pœna mortis punire, potest etiam eos privare jure, & potestate, quam habent in suos Filios: & hos baptizare subtrahendo illos à parentibus. Dixi secundo, *Rationis usu carentes*; nam, si usum rationis habeant, & petant baptismum, baptizari possunt, ac debent, etiam invitis Parentibus, & ab ipsis subtrahendi; quia Filii non tenentur obedire Parentibus, quando hi impedire illis velint media necessaria ad salutem. Quod si dubitetur, an habeant usum rationis, aliqui docent, posse baptizari, quia in dubio inclinandum est in favorem Fidei. Alii negant, quia melior est conditio Parentum possidentium. Alii demum docent, posse baptizari, si simul adsit periculum mortis, vel si transgressi sint septennium; vel si Parentes postea impedituri sint baptismum, & videatur satis consultum eorum constantiæ, quia, quando concurrunt duo præcepta, observandum est majus: præceptum autem baptismi majus est præcepto de non agendo contra jus parentum: Croix n. 306. Dixi tertio, *Etiam si sint subditi Principis Christiani*, quia Principes seculares punire solum possunt peccata, quæ sunt contra politicam pacem, & gubernationem, contra quam non peccant, qui nolunt, filios baptizari. Tertio filii infidelium mancipiorum possunt licite, invitis parentibus, auctoritate Dominorum baptizari: quia jus in prolem mancipii spectat ad dominum, qui potest illam vendere, aut dona-

re; adeoque potest citra injuriam abstrahere à parentibus, & ab actuali subjectione liberare. Idem dicendum de prole jure belli captiva apud Christianos. quia jam est serva Christiana: Croix n. 301. ex Averf. Imo idem etiam dicendum de prole sive juste, sive etiam injuste extracta extra patriam potestatem, quia tunc parentes amiserunt jus proximum, seu usum actualem talis juris naturalis, & ad tale jus exercendum succedunt illi, quibus actu subsunt, & baptizari mandant: Croix n. 304. ex Laym. Dicast. &c.

Puer vero quicumque morti proximus baptizari debet, etiam invitis parentibus, quia tunc urget præceptum charitatis, & puer non subtrahitur à parentibus per baptizantem, sed per ipsum periculum mortis, & sic extracto licite confertur Baptismus maxime necessarius: Croix n. 305.

An autem liceat Sacerdoti Catholico baptizare infantem, quem pater hæreticus baptizari petit, controversatur apud Doctores. Negant Suar. Con. Dicast. & alii ob manifestum periculum apostasiæ, cui exponitur infans ille: non secus ac infans infidelis ex communi sensu Doctorum non est baptizandus, si restituendus sit parentibus, quia stante periculo subversionis sit injuria Sacramento, & Religioni. At Laym. Aver. Arsd. Gob. t. 2, n. 324. dicunt, id licite fieri, quia periculum apostasiæ est incertum, & valde remotum, cum multi testentur, vix tertiam partem infantium pervenire ad annos discretionis, & ex alia parte eadem irreverentia contingat, si baptismus confertur ab hæretico, à quo etiam confertur verus baptismus pro vera Ecclesia institutus à Christo: quam sententiam probabilem reputant Dian., & Croix n. 307. Idem dicendum putant Sylv. & Nav. de infantibus infidelium, quos parentes petunt baptizari: sed alii communiter contradicunt cum Laym. Pignat. Dicast. Excipit Gob. n. 325. nisi parens infidelis mortem illaturus esset nolenti baptizare; nam ex dictis d. 1. q. 2. c. 3. possunt dari circumstantiæ excusantes Ministrum, qui Sacramentum conferat indigno.

Quæres secundo, Quandonam baptismus iterari possit, aut debeat sub conditione?

Respondeo, Tum solum iterari posse, ac debere sub conditione, quando adest prudens dubium de valore prioris baptismi, juxta dicta disp. præced. q. 2. c. 3. Unde infero

Primò,

Primo, Si certum fit, unum è viginti non esse baptizatum, & nesciatur, quis ille fit, omnes debent sub conditione baptizari, quia de singulis prudens est dubium, an sint baptizati? Lug. Dicast. Gob. n. 699.

Secundo, Si baptizans fuit perturbatus, ideoque dubitet, an aliquid essenziale omiserit, si unus astantium, reliquis non contradicentibus testetur, esse appositum id, de quo dubitatur, an sit omisum; non debet iterari baptismus: si vero testes non conveniant, & unus contra alium testetur, esse omisum, vel nullus testetur, debet iterari, quia prudenter dubitatur de valore: Gob. n. 424. ap. Croix n. 312.

Tertio, Qui cæteroqui non est scrupulosus, nec hypocondriacus, sed prudens, si vehementer agitetur circa valorem sui Baptismi, potest rebaptizari sub conditione, quia videtur gravis causa ob exempla non baptizatorum, qui sunt ita interne agitati: Quintanad. & alii cum Gob. à n. 446. ubi refert casus, in quibus etiam ex infestatione spectrorum judicatum est, causam esse sufficientem. Quamvis autem Distafil. & Gobat. dicant, licite suscipere reliqua Sacramenta eum, qui dubius est de valore sui baptismi, dubio tamen juris, quatenus aliqui Doctores probabiliter affirmant, alii probabiliter negant, talem baptismum esse validum, excepto Ordine, & Matrimonio ob periculum nocendi tertio, si hæc Sacramenta nulliter suscipiantur; oppositum tamen tenendum est, quia in tali casu Sacramenta suscipienda exponerentur periculo nullitatis, quod semper est illicitum extra casum necessitatis, juxta dicta disp. præc. l. c.

Quarto, Infantes exposititii probabiliter sunt rebaptizandi sub conditione, etiam si inveniantur cum scheda testante de Baptismo: Quintanad. Gob. & alii asserentes, baptismum talium infantum esse dubium, quia hujusmodi infantes solent baptizari à propriis matribus, quæ forte nunquam viderunt baptizare, nunquam didicerunt, nec præ pudore petere voluerunt, ut tamen consulerent æternæ eorum saluti, ob periculum mortis baptizarunt, ut sciverunt. Possunt etiam tales infantes esse expositi à Judæo, vel ab alio execrante baptismum, ex Sylv. & Mercer.

Quinto denique, Circa baptizatos ab obstetricibus quisque licite sequitur statuta, vel consuetudinem suæ Diocesis, quoad eorum rebaptizationem: supponitur enim talis consuetudo fundata in erroribus aliquando

animadversis; aliter consuetudo nihil immutare potest circa jus Divinum, à quo pendet permissio, prohibitio, & iussio iterandi baptismum: Gobat n. 175. Præscindendo tamen ab hujusmodi statutis; vel consuetudine, plerique baptizati ab imperitis, & mulieribus licite rebaptizantur ob errores substantialis sæpe ab iis commissos, ut refert Gob. à n. 353. Hinc à fortiori rebaptizari debet baptizatus ab obstetrice venefica, quia merito dubitatur de valore talis baptismi. In dubio, an fuerit venefica, Gob. dicit, non esse rebaptizandum, quia in dubio non præsumitur crimen; sed contradicit, & merito, Croix n. 321. si dubium sit prudens, quia tunc etiam prudenter dubitatur de valore baptismi. Econtra vero, quando obstetrix est integræ famæ, circumspecta, & sæpius probata recte semper egisse, tunc infans ne conditionate quidem rebaptizari potest, si illa serio affirmet, infantem à se esse legitime baptizatum, quia tunc non habet locum prudens dubium de valore baptismi, sed ad summum levis scrupulus: Quintanad. Gob. n. 183. Rebaptizare autem extra prudens dubium, etiam supposito levi scrupulo, ordinarie censi debet mortale: Hurt., Gob. De Baptizatis ab Hæretico prædicante, quos omnes rebaptizandos esse docent Quintanad. & alii plures cum Dicast. v. Croix n. 322.

DISPUTATIO III.
 QUÆSTIO UNICA.
De Sacramento Confirmationis.

CONFIRMATIONEM, sic dictam, quia baptizatos in suscepta Fide confirmat, verum Sacramentum novæ legis esse à Christo Domino institutum, de fide est, ut constat ex Trid. *sess. 7. can. 1.* Et quidem instituere debuit plene, & perfecte, antequam ad Cœlos ascenderet, cum sit unum ex præcipuis fundamentis Ecclesiæ, quam Christus Dominus, ante suam Ascensionem perfecte fundatam reliquit. Verum, quo tempore ante Ascensionem institutum fuerit, non constat. Probabiliter Doctores cum Suarez Con. Fill. Trull. docent, institutum fuisse in nocte Cœnæ, ut colligitur ex Fabian. Pap.

Pap. epist. 2. cap. 1. ubi hæc habet: *In illa die Dominus JESUS, postquam coenavit cum Discipulis suis, & lavit eorum pedes, sicut à Sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt, Chrisma conficere docuit: usus tamen talis Sacramenti incepit post Christi Ascensionem; non enim expediebat, Divinum Spiritum perfecte alicui communicari per hoc Sacramentum, antequam JESUS glorificaretur, juxta illud Joan. 7. Nondum erat Spiritus datus, quia JESUS nondum erat glorificatus.* JESU autem glorificato Spiritus plene datus fuit Apostolis, non signo Sacramentali, sed extraordinario, & miraculoso. Quo Spiritu accepto Apostoli alii Divinum Spiritum communicabant impositione manuum. An vero non solum impositione manuum, sed etiam chrismatis unctione uterentur, non satis constat: verosimilius videntur, utroque signo usi fuisse, ne cogamur dicere, diversum nunc esse hoc Sacramentum ab eo, quod tunc fuit Pal. hic p. 1. num. 4. His positis I. Agemus de Materia, & Forma: II. De Ministro: III. De subjecto Confirmationis.

CAPUT I.

De Materia, & Forma Confirmationis.

MATERIA remota Confirmationis est Chrisma per Episcopum benedictum. Constat ex Flor. in Decr. Fidei; & ex Trident. sess. 7. can. 2. Chrisma autem debet esse mixtum ex oleo, & balsamo, saltem ex præcepto. Utrum vero talis mixtio sit necessaria necessitate Sacramenti, & ex Christi institutione, an sufficiat solum oleum (quod certum est pertinere ad materiam essentialem hujus Sacramenti, ut cum D. Thom. & aliis notat Averf. ap. Croix n. 375.) disputant Doctores. Probabilius est, esse necessariam necessitate Sacramenti: cujus sententiæ fundamentum præcipuum est ex Flor. in cit. Decr. Fidei, ubi hæc habet: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientie, & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ per Episcopum benedicto.* Item etiam Suar. Laym. Bon. Pal. p. 2. n. 3. Sententia tamen opposita dicens, balsamum requiri tantum ex præcepto Ecclesiæ, quam tenent Cajet. Sot. Navar. Covar. Viêt. Val. Zanard. apud Dian. p. 3. t. 4. r. 23. probabili

lis est: ita Croix ib. Ratio desumitur ex cap. *Pastoralis, de Sacram. non iterando*, ubi Innoc. III. interrogatus de confirmato in solo Oleo, respondet, nihil esse iterandum, sed caute supplendum, quod incaute prætermisissimum fuerat. Ad fundamentum sententiæ oppositæ, nempe ad textum Flor. respondent, idem Flor. dicere, vinum aqua mixtum esse materiam Eucharistiæ, satisfactionem esse materiam Pœnitentiæ; nec tamen inde recte inferri, aut aquam esse materiam essentialem Eucharistiæ, aut satisfactionem Pœnitentiæ; Hinc concludit Dicast. hic n. 29. balsamum requiri tantum ex præcepto non mere Ecclesiastico, sed Divino Christi Domini, quod colligi ait ex antiqua traditione Ecclesiæ, & PP.

Hinc inferens, quod si haberi non posset Chrisma ex oleo, & balsamo, non peccaret, qui in articulo mortis confirmaret aliquem solo Oleo Infirmorum, quia in casu necessitatis licitum est in Sacramentis conferendis procedere secundum sententiam probabilem: Croix n. 375. Gob. tr. 2. n. 744. & constat ex dictis disp. 1. q. 2. c. 3. Oleum debet esse olivarum, quia hoc proprie oleum dicitur; quare confectum ex alia materia, ut ex nucibus, vel grandi pisce, vulgo *Balena*, non est materia hujus Sacramenti, quia oleum proprie non est: ita D. Th. ab omnibus receptus: teste Pal. p. 2. n. 3. Balsamum vero potest esse cujuscunque Regionis, dummodo sit in ea quantitate, ut det sui odorem; nec requiritur, ut in singulis partibus olei sit aliquid balsami: Con. Bon. Gob. n. 745. Croix n. 377.

Omnes Doctores exigunt in oleo mixto balsamo benedictionem, ut sit apta materia hujus Sacramenti: Pal. n. 5. & ratio desumitur ex institutione Christi, Ecclesiæ usu, & consuetudine declarata, & pluribus Conciliis confirmata: utrum vero talis benedictio necessario facienda sit ab Episcopo, an possit ex commissione summi Pontificis fieri à simplici Sacerdote, discrepant Doctores. Cajet. Val. Barb. Gob. ap. Pal. n. 6. putant, posse summum Pontificem committere simplici Sacerdoti talem Chrismatis benedictionem, cum possit ex dicendis cap. seq. eidem committere hujus Sacramenti administrationem: quam sententiam probabilem reputare videtur Croix n. 378. Communior tamen, & probabilior sententia est, benedictionem Episcopalem necessario requiri in Chrismate, ut sit apta materia hujus Sacramenti; imo
omnes

omnes fere Doctores id docere, ait Suarez, disp. 33. sect. 2. apud Pal. n. 7. colligiturque ex Concil. Rom. sub Sylvestro cap. 3. Tolet. I. cap. 20. Carthagen. III. cap. 13. Carthag. III. cap. 36. & potissimum ex Flor. in *Decr. Fidei*, textu superius exposito: vid. Pal. n. 7.

Quamvis necessario requiratur Chrismatis consecratio; modus tamen consecrandi non est jure divino signatus, sed Ecclesiæ remissus, & solum jure divino consecrandum, & benedicendum est Chrisma invocatione Divini Spiritus. Poterat quidem Ecclesia ita decernere modum consecrandi Chrisma, ut quilibet alius foret irritus, & sacrilegus: quia tamen de hac intentione non constat, nec id conveniens erat; ideo quælibet benedictio Chrismatis facta ab Episcopo sufficiens est ad habendam aptam materiam hujus Sacramenti: grave tamen peccatum committeretur, omittendo ritum ab Ecclesia præscriptum: Suarez, Bonac. plures referens, Con. Layman. Pal. num. 9. sicuti graviter etiam peccaret Episcopus, quamvis Sacramentum conficeret, si confirmaret in Chrimate vetere, seu anni præced. omisso novo: Chrisma enim singulis annis in die Cœnæ Domini consecrandum est, veteri combusto, ex Fab. Pap. *epist.* 2. Probabilius est ad benedictionem Chrismatis necessarios esse Sacerdotes simul cum Episcopo; nam in Rituali Romano de illis dicitur, quod sint, & testes, & cooperatores, jubenturque post Episcopum insufflare, signare, osculari ampullam, &c. non ita Diaconos, & Subdiaconos, qui vocantur Ministri tantum, & Assistentes.

Materia proxima est *Unctio Chrismatis benedicti in fronte Confirmandi, in formam Crucis manu Episcopi facta*: quæ omnia sunt de necessitate Sacramenti, ut est communis sententia Doctorum id comprobantium ex usu, & traditione Ecclesiæ, & ex variis Conciliorum Decretis, præcipue est Flor. sub Eugen. IV. in *Decr. ad Arm.* Hinc infers

Primo, nullimodo satisfacere Episcopum, si confirmandum signet cruce, & deinde ungat, quia non haberetur unctio in formam Crucis, quæ necessaria est tum ex Flor. cit. tum ex Innocent. I. & Gregor. I. relatis in cap. *Presbyteris, de Consecrat. dist.* 4. & ex Stephano Pap. relato in cap. *Numquid de Consecrat. dist.* 5. Congruentia autem hujus institutionis est, quia hæc Sacramentali Unctione munimur ad Christi Crucem palam

lam confitendam; & idcirco conveniens fuit, ut talis unctio fieret in formam Crucis: D. Thom. Suar. Con. Bonac. Layman. apud Pal. p. 3. n. 2.

Secundo, Unctionem non in fronte, sed alibi non sufficere ad Sacramentum, colligitur ex usu Ecclesiae ab antiquis PP. comprobato, praesertim Tertull. Dionys. Cyrill. Hierosol. Greg. Turon. Aug. constat etiam ex Innocent. III. in cap. un. *de Sacra Unct.*, & ex Concil. Flor. in Decr. *Armen.* Vide Pal. n. 8.

Tertio, licet Henr. Vivald. &c. putent, hanc Unctionem fieri posse medio aliquo instrumento, puta penicillo, hæc tamen sententia non videtur probabilis, ut ait Croix n. 380. quamvis probabilem eam agnoscere videatur Dicast. apud cit. Croix; nam impositio manuum Episcopalis, per quam solam legimus in Actis Apost. collatam Confirmationem, dicenda est partialis materia necessaria hujus Sacramenti, ut docent D. Th. Scot. Gabr. Sot. Suarez, & alii apud Avers. contra nonnullos. Quod autem unctio facienda sit pollice dexteræ manus, hoc habetur ex præcepto Ecclesiae, non ex institutione Christi: Suarez, Con. Laym. Bonac. apud Pal. num. 4. Quare validum conficeret Sacramentum, quamvis graviter peccaret Episcopus, si alio digito ungeret contra universalis Ecclesiae morem: ita Busemb. quamvis Nugn. Dian. Dicast. apud Croix n. cit. dicant, non satis constare, quod Episcopus graviter peccaret, si absque causa uteretur alio digito, quam pollice dexteræ manus. Addit Avers. apud Croix ib. quod, si laboraret pollice dexteræ manus, licite ungeret alio digito.

Forma autem Sacramenti Confirmationis est, *Signo te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Constat ex Flor. in Decr. cit. sub Eug. IV. Ratio desumenda est ex institutione Christi nobis declarata ab usu, & traditione Ecclesiae perpetua: congruentia vero hujus institutionis desumitur ex fine, & effectu hujus Sacramenti, ut recte explicat D. Th. cum enim hoc Sacramentum institutum sit ad designandos Fideles in Christi milites, & ad dandum illis speciale robur, ut Fidem Christi palam, & absque ullo timore, aut verecundia confiteantur; conveniens fuit, ut hæc omnia per formam hujus Sacramenti explicarentur: nam verbis illis *Signo te signo Crucis* declaratur signaculum Crucis fronti
COR-

Confirmandi appositum, ejusque animæ caractere indelebili spiritualiter impressum: illis vero *Confirmo te Chrismate salutis* significatur robur acceptum: &, quia robur hoc, & signaculum sunt ad fidem Christi palam confitentiam, conveniens fuit, ut exprimeretur præcipuum fidei mysterium, quod est SS. Trinitatis, & Unitatis Divinæ Essentiæ. Supradicta forma essentialis est quoad omnes sui partes; nam Conc. Flor. exacte formam hujus Sacramenti describens, supradicta verba statuit: credidit ergo esse essentialia: aliter non essent formæ partes.

Dicendum igitur, quod in forma Confirmationis necessario exprimi debeat non solum persona confirmans, saltem implicite, & persona confirmanda: sed etiam signaculum Crucis, Unitas Essentiæ Divinæ, & Trinitas Personarum, & Unctio Chrismatis. Addit Pal. p. 5. n. 6. ex Suarez, fieri mutationem substantialem in dicta forma, si proferatur modo deprecativo; quare indicativo, seu imperativo modo necessario proferendam esse dicit. Apud Græcos forma Confirmationis est, *Signaculum donationis Spiritus Sancti*, omisso verbo more græcorum, & sensus est, *Hoc signo donantur munera Spiritus Sancti*: quam formam validam esse, & continere omnia, quæ sunt de essentia, fuisse probat Arcud. l. 2. c. 7. & declaravit Urban. VIII. apud Illf. de Sacram. n. 7. Et, quamvis Græci in conferendo hoc Sacramento ungant non solum frontem, sed etiam oculos, nares, os, aures, pectus, manus, & pedes; Arcud. tamen loc. cit. testatur, ex eorum mente opus non esse, nisi ungere tantum frontem.

Pro explicandis variis canonibus Conciliorum, & dictis SS. PP. notandum cum Croix n. 381. & Gorm. hic n. 1. varias ab initio Ecclesiæ fuisse manuum impositiones: Primo erat Curativa, de qua Marc. ult. *Super ægros manus imponent, & bene habebunt*. Secundo, Reconciliativa cum qua dabatur absolutio sacramentalis Pœnitentibus, præsertim publicis: Tertio, Ordinativa, per quam ordinabantur Ministri Ecclesiæ. Quarto, Confirmativa, per quam conferebatur Sacramentum Confirmationis. Similiter variæ fuerunt Unctiones. I. Altarium, Calicum, & aliorum pro usu Ecclesiæ. II. Baptizatorum in vertice. III. Exorcizandorum ad expellendum dæmonem: IV. Ordinandorum in vertice, & digitis. V. Moribundorum, quæ est extrema Unctio. VI. Confirmandorum, de qua hic sermo est. Hinc facile explicatur,

plicatur, ita ut Catholicæ veritati minime obfit, locus cæteroqui difficilis Aug. lib. 3. de Baptismo cap. 16. ubi ait, *Manus impositio, non sicut Baptismus, repeti non potest, quid enim est aliud, nisi oratio super hominem?* Explicatur, inquam, dicendo cum Pal. p. 6. n. 4. quod ibi August. loquatur de manus impositione, qua hæretici pœnitentes reconciliantur, & in eorum favorem Divinus Spiritus exoratur manus impositione: quod enim ibi non loquatur de manus impositione, quæ est Sacramentum Confirmationis, certum est, aliter sibi contradiceret: nam lib. 2. contra Epistol. Pœtiliani expresse asserit, Confirmationem, sicut & Baptismum, repeti non posse.

CAPUT II.

De Ministro Confirmationis.

FIDE Catholica certum est, Ministrum ordinarium Confirmationis esse solum Episcopum: constat ex Flor. in Decr. Fid. & Trid. sess. 7. can. 3. dicente, *Si quis dixerit, Sanctæ Confirmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemlibet simplicem Sacerdotem: Anathema sit: & sess. 23. c. 4. signatur, ut proprium Episcoporum munus, Confirmationis ministratio: & Can. 7. Anathemate damnatur asserens, confirmandi potestatem communem esse Episcopis, & Presbyteris. Colligitur hæc veritas ex Act. 8. & 19. ubi soli Apostoli leguntur Spiritum Sanctum per manus impositionem Fidelibus communicasse: signum ergo est, nullum alium simplicem Sacerdotem hanc potestatem habuisse. Congruentia autem est, quia Episcopi sunt Ecclesiæ Duces, & ad Duces spectat eligere, & consignare milites. Hinc sequitur, quod Episcopus, etiam si sit hæreticus, excommunicatus, depositus, aut degradatus, valide, quamvis illicite, hoc Sacramentum ministrat, quia characterem Ordinis, à quo hæc potestas provenit, nunquam amittit: Suar. Bon. Pal. p. 8. v. 2.*

Dixi, *Ministram ordinarium esse solum Episcopum:* nam ex delegatione solius summi Pontificis potest simplex Sacerdos confirmare. Colligitur ex facto Gregorii lib. 3. epist. 26. cum enim hic Pontifex præcepisset Presbyteris Sardiniae, ne confirmarent, cumque ob tale præceptum scandalum oriri cerneret, *Nos quidem,* inquit,

inquit, secundum usum veterem Ecclesie nostrae fecimus; sed, si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi desunt Episcopi, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus. Consentit Flor. in Decr. Eug. ubi inquit, Legitur tamen aliquando, per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili, & urgente admodum causa simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum: Vid. Pal. p. 9. num. 3. Laicis vero, aliisque Clericis Sacerdote inferioribus, nullatenus hæc potestas committi potest, nec Sacerdotibus ipsis ab alio præter summum Pontificem, ut constat ex usu, & consuetudine Ecclesie, qua declaratur institutio Christi; nunquam enim legimus, Episcopos hanc facultatem Sacerdotibus concessisse, aut summum Pontificem concessisse Clericis Sacerdote inferioribus. Imo, quamvis aliquibus Abbatibus concessa sit facultas exercendi omnia Pontificalia, excepta collatione Ordinum, & consecratione Altarium, & Ecclesiarum, non comprehenditur tamen sub tali concessione facultas confirmandi ex declaratione Gregor. XIII. ap. Lug. resp. mor. l. r. d. 7. v. Croix n. 385. At poterit Pontifex hanc facultatem Presbyteris concedere, eo ipso ac electus est Papa, etiamsi Ordibus careat; licet enim ipse tunc confirmare non possit; potest tamen facultatem confirmandi concedere iis, qui sunt capaces talis facultatis: hæc concessio non est actus Ordinis, ut est actus confirmandi, sed jurisdictionis.

Quæres primo, An, & Quando teneatur Episcopus hoc Sacramentum administrare?

Respondeo, Quemlibet Episcopum obligatum esse hoc Sacramentum, per se, vel per alium in propria Diocesi ministrare, ita ut, si longo tempore differat peccet graviter, quia privat subditos ingenti bono: Suarez, Tolet. Barb. Layman. Busemb. Pal. pag. 9. num. 13. Hinc tenetur propriis expensis (nisi longa, & rationabilis consuetudo fecerit jus exigendi tales expensas: Gob. apud Croix n. 388.) circumire Diocesim, & saltem ad loca præcipua accedere, ad hoc Sacramentum ministrandum; nam, si solum in Cathedrali ministraret, plures ex Diocesi sine Confirmatione remanerent: Pal. ibid. Hinc, si ad octo, vel decem annos differat circumire, & hoc Sacramentum ministrare, peccat graviter, nisi

R. P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III. F ex-

excuset moralis impossibilitas. Neque obest, quod, qui omittit suscipere, ex dicendis cap. seq. non peccat; nam etiam, qui omittit sæpius confiteri, aut communicare per annum, non peccat; & tamen Parochus nolens ei Pœnitentiæ, aut Eucharistiæ Sacramentum ministrare, graviter peccat: ergo similiter Episcopus. Ratio utriusque est, quia tenetur ex officio, & stipendio: Croix ib. Addit Dicast. quod, si adit rationabilis causa omittendi, non sit damnandus, qui ad tres, vel plures annos differat. Præterea debent Episcopi confirmare etiam in carcere illos, qui educendi sunt ad supplicium, si petant, & infantes jam morituros: D. Th. D. Bonac. Dicast. Gob. Imo Bonac. & Quintanad. plures citantes dicunt, moraliter peccare Episcopum, si moriturum, vel suspendendum petentem non confirmet: sed Escob. Fr. Lug. & alii probabilius negant, esse mortale: imo nullum peccatum esse, ait Croix n. 390. tum ob consuetudinem, tum ob incommoditatem ministrandi hoc Sacramentum cum solemnitate debita.

Quæres secundo, Quid requiratur ex parte Ministri hujus Sacramenti, ut licite illud administret?

Respondeo, Requiritur primo, ut sit in gratia, ut constat ex dictis in Tract. de Sacrament. in genere. Secundo, ut confirmandus sit subditus: quod etiam requiritur ad licitam cujuslibet Sacramenti administrationem, excepto Matrimonio, ut constat ex ibid. dictis. Ex præsumpta tamen voluntate proprii Superioris possunt alieni subditi confirmari: unde autem hæc præsumptio colligatur, arbitrio viri prudentis remittitur. Si tibi ordinandum suum subditum non confirmatum proprius Episcopus remittit, censetur velle etiam, ut eum confirmes; Confirmatio enim Ordinibus suscipiendis præmitti debet ex Tridentin. *sess. 23. c. 4.* Layman. Dian. Dicast. n. 130. contra Bon. *de Sacram.* d. 2. p. 2. qui pariter docet, non posse Episcopum confirmare confluentes ex alienis Diœcesibus sine speciali licentia propriorum Episcoporum, contra Pal., Layman., & alios ap. Croix n. 392. imo id fieri posse sine ullo scrupulo, docent Dian. p. 4. t. 4. r. 50. & Stephan. t. 5. d. 3. n. 1. quia hoc gratum est aliis Episcopis, & ratum habent, ut probat praxis. Tertio, ut in propria Diœcesi hoc Sacram. ministret: aliter, si in aliena Diœcesi sine illius Episcopi licentia etiam proprium subditum confirmet, graviter

graviter peccat, & suspensionem ab exercitio Pontificalium incurrit: Sa, Henr. Barb. ex Trident. *sess. 6. c. 5. de Reform.* Quarto, ut sit jejunus cap. *Ut jejun.* cap. *Ut Episcop. de Consecrat. dist. 5.* Verum hoc non est præceptum, sed consilium, imo id abrogatum esse, ait Croix n. 389. ex Averf. & Gob. n. 769. hinc, si justa causa adsit, qualis esset ex Pal. n. 11. ingens numerus confirmandorum, improbari non debet usus ministrandi hoc Sacramentum à prandio: Croix n. 389.

Quæres tertio, Quibus ritibus, & cæremoniis teneatur Episcopus hoc Sacramentum ministrare?

Respondeo, Teneri ad servandos ritus, & cæremonias ab Ecclesia præscriptas, idque sub gravi, nisi excuset parvitas materiæ. Tales autem cæremoniæ aliæ antecedunt, aliæ comitantur, aliæ subsequuntur Confirmationem.

Ex antecedentibus, Prima est consecratio Chriftatis ex oleo, & balsamo constantis facta ab Episcopo, quæ cæremonia ex dictis cap. præc. requiritur etiam ad valorem hujus Sacramenti. Secunda est designatio Patrini facienda sub gravi culpa, ut docent Nav. ex communi, à parentibus, & in eorum defectu ab Episcopo: Gob. n. 788. qui Patrinus cum Confirmante eandem cognationem spiritualem contrahit cum Confirmato, ejusque parentibus, ac contrahitur in Baptismo à Patrinis, & Baptizante cum Baptizato, ejusque parentibus; de qua fuse in Tract. de Matr. ubi agemus de impedimento cognationis. Ubi tamen facile non habetur Patrinus, omitti potest juxta Gob. n. 786. In confirmatione non debet admitti unus, & una; nam id tantum pro Baptismo fuit à Trident. permiffum, sed debet esse unus tantum; & secundum usum Ecclesiæ, & ritum Pontificalis Romani, ejusdem sexus, cujus est confirmandus: Croix ex Averfa n. 399. debet insuper esse confirmatus: secus non valide Patrini munus exercebit, nec cognationem spiritualem contrahet: Suarez, Sanchez. Oppositum probabile esse, dicit Croix n. 400. graviter tamen peccabit juxta communem sententiam, quamvis Escob. ex Con. à mortali excuset. Idem debet esse diversus à Patrino Baptismi saltem extra necessitatem; quamvis Bonac. & Hurt. negent, & secus facientem non peccare mortaliter, dicat Dian. p. 3. t. 4. res. 21. Non Monachus, nisi factus Episcopus, & nisi confirman-

dus esset pariter Monachus; licet Quintanad. admitti
 posse dicat sine culpa, & Monachos, & Moniales, nisi
 in eorum Religione sit prohibitum. Demum una eadem-
 que die nemo potest esse Patrinus, nisi duorum tantum:
 ita cavetur in Pontificali: at, si sit vir probus, & ma-
 xime Ecclesiasticus, in quo nulla adfit malitiæ præsum-
 ptio, poterit eadem die esse Patrinus plurium: Marc.
 Ant. Genuens. *in manu pastor. cap. 54. num. 6.* quem
 refert., & sequitur Barb. 2. part. *de potest. Episc. alleg.*
30. num. 52. Patrinum Confirmationis non contrahere
 obligationem saltem gravem instruendi confirmatum, do-
 cent communiter Doctores. Tertia cæremonia antece-
 dens sunt plures orationes, quibus Confirmandus dispo-
 nitur, & Confirmationis institutio, & effectus declara-
 tur. Quarto loco numerari posset jejunium servandum
 tam à Confirmando, quam à Ministro ex cap. *Ut jejunii:*
 sed de hoc vide dicta superius.

Ex concomitantibus primo numerandus est loco. Hic
 debet sub gravi culpa esse Ecclesia, ut testantur Docto-
 res apud Castropal. punct. 10. n. 7. qui tamen probabile
 esse ait, confirmationem conferri posse sine culpa extra
 Ecclesiam in loco decenti: & ita tenent etiam Suarez,
 Henr. Bon. Sa, Barb. Secundo, Tempus, quod anti-
 quitus erat sola vigilia Resurrectionis, & Pentecostes,
 quibus diebus dumtaxat Confirmatio ministrabatur. At
 hæc cæremonia consuetudine abrogata est, & quolibet
 die, sive festo, sive seriali ministrari potest, quia sic
 usus obtinuit. Tertio, Vestes sacræ, quibus Epi-
 scopus ornari debet, ad hoc Sacramentum ministran-
 dum, nimirum Pluviali, Mitra, Stola, Baculo pasto-
 rali ex quodam responso Sac. Congr. apud Barb. 3. p.
de pot. Ep. all. 30. num. 11.

Inter cæremonias vero Confirmationem subsequen-
 tes, Prima est Confirmati frontem vitta ligari, ne
 Chrisma defluat, sed exsiccet, quæ tamdiu retinenda
 est, quamdiu fuerit consuetudo loci: pluribus tamen in
 locis statim post confirmationem frons confirmati in
 fonte baptismatis abluitur, & vitta deponitur, quæ
 alicubi solet comburi, & in profluentem mitti: alibi
 tota asservatur ad similem usum: nunquam tamen pro-
 fanis usibus applicari debet. Secunda est levis alapæ
 inflictio in signum, quod Confirmatus paratus esse debet
 ad injurias constanter pro Christo sustinendas, & in me-
 moriam

moriā suscepti Sacramenti, ne illud audeat iterare. Hujus cæremoniæ omissionem, secluso scandalo, non reputant mortale Suarez, Val. Con. Sa. Tertia est cæreus accensus in signum, quod semper vivam Fidem conservare debet Confirmatus. Hæc cæremonia est tantum consuetudine introducta, sed non sub gravi obligatione, ut testatur Emm. Sa. Quarta, sunt plures orationes, quibus Confirmatus admonetur de suscepta obligatione servandi constanter Fidem, & Charitatem augendi. Quinta est admonitio, ne Confirmati ante ultimam benedictionem Episcopalem è loco Confirmationis discedant. Hæc tamen admonitio omittenda est, quando numerosus populus ad Confirmationem constituit; durum enim est omnes obligare, ut in Ecclesia usque ad finitam omnium Confirmationem immorentur.

CAPUT III.

De Subiecto Confirmationis.

QUILIBET homo baptizatus cujusvis ætatis est subjectum hujus Sacramenti capax, cum quavis ætate capax sit effectus hujus Sacramenti: hoc ipso enim, quod per baptismum est spiritualiter genitus, potest crescere, roborari, & ad Fidem tuendam armari, quamvis actu ex defectu ætatis ineptus sit ad pugnam. Constat ex usu antiquo Ecclesiæ hoc Sacramentum ministrantis baptizatis omnibus statim post baptismum. Unde sequitur, ad hoc Sacramentum valide suscipiendum non requiri propriam suscipientis voluntatem in iis, qui voluntatem propriam non habent, seu rationis usu carent, sed sufficere voluntatem Christi, & Ecclesiæ, ut dicitur in Baptismo.

Quamvis vero omnes baptizati etiam ante rationis usum sint Confirmationis capaces; in præsentī tamen non expedit, eam ministrari infantibus ante usum rationis, nisi sint jam morituri, ut c. præc. innuimus, vel nisi ob absentiam Episcoporum, aliamve causam timeretur longo tempore post usum rationis Confirmationem esse differendam; vel infantem sine Confirmatione decessurum; vel nisi adsit Diocesana consuetudo confirmandi pueros ante usum rationis: Pal, pag. 7. num. 5. cum Suarez, Con. Layman. additque Suarez disp. 35.

fect. 2. quod non peccaret graviter Episcopus, si ob benevolentiam, aliamve similem causam puerum ante rationis usum confirmaret, quia consuetudo expectandi usum rationis non videtur introducta esse cum tanto rigore. Ratio, cur expediat regulariter expectare usum rationis ad hujus Sacramenti susceptionem, est, quia sic decentius suscipitur, & cum majori fructu, & absque periculo reiterationis. Dixi, *In præfenti, &c.* ne videret improbare antiquum Ecclesiæ usum confirmandi infantes statim post baptismum; tunc enim id conveniens erat ob penuriam Episcoporum, & paucitatem Fidelium, quibus de causis bis tantum in anno extra necessitatem baptismus, & statim post Baptismum Confirmatio ministrabatur: at multiplicato Episcoporum, & Fidelium numero cessavit consuetudo conjungendi confirmationem cum Baptismo: eaque bis tantum in anno ministrandi, & successit Confirmationis ministratio, prout magis expedit, tum reverentiæ Sacramenti, tum Fidelium utilitati: Castrop. n. 5. In locis tamen Missionum, & inter hæreticos, quo rarius accedunt Episcopi, convenienter confertur etiam infantibus: Croix num. 391. nam etiam Græci, teste Arcud. l. 1. c. 13. statim post baptismum infantes confirmant.

Quæres primo, An perpetuo amentes possint confirmari?

Respondeo affirmative cum Suarez, Henr. Layman., Con. Dicast. num. 92. apud Croix loc. cit. contra Sot., Val. Mærat.; sed attendendam esse consuetudinem ait Croix, quam tamen aliqui dicunt non obligare, si alicubi adsit non confirmandi, quia id pendet à libera voluntate Episcoporum. Excipe, nisi spes adsit, eos usum rationis habituros, quia tunc differenda esset confirmatio ad usum rationis, ut dicitur de infantibus. Neque obstat, quod amentes non habeant voluntatem suscipiendi Sacramentum: nam pro carentibus perpetuo usu rationis sufficit voluntas Christi, & Ecclesiæ, ut in baptismo: pro iis vero, qui aliquando usum rationis habuerunt, & christianè vixerunt, sufficit voluntas interpretativa, ea nimirum, quæ censetur esse in quolibet Christiano suscipiendi suæ salutis remedia, dummodo de voluntate contraria non constet.

Quæ-

Quæres secundo, An, & qualis sit obligatio suscipiendi Confirmationem?

Respondeo, Quadruplicem Sententiam minus veram numerari à Castrop. p. 8. Prima asserit, absolutam dari jure Divino obligationem suscipiendi Confirmationem: tribuitur Scoto, Richard. Valdens. Verum hi Doctores, teste cit. Pal. solum asserunt, hoc Sacramentum cœtemni ab iis, qui, data opportunitate illud recipiendi, sine causa omittunt. Secunda limitat primam, ut procedat eo casu, quo publice coram tyranno Fides est confitenda, cui sententiæ favere videtur præceptum latum Apostolis Luc. ultim. ne è civitate exirent, donec inducerentur virtute ex alto, hoc est, donec Spiritu Sancto munirentur. Ita sustinent Dur. Marsil. Turrecrem. Tertia admittit obligationem suscipiendi hoc Sacramentum, non Divinam, sed Ecclesiasticam: ita Alex. Ales. Bon. Palud. Sylvest. id colligentes ex variis decretis *de Consecrat. dist. 5.* Quarta limitat dictam obligationem solum ad casum, quo suscipienda sit prima Tonsura ex Trident. *sess. 23. cap. 4. de Reform. Prima Tonsura non initietur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint.* Verum communis, & probabilior sententia negat, ullam per se obligationem esse, sive ex jure Divino, sive ex Ecclesiastico suscipiendi Confirmationem: D. Thom. Abb. Covar. Henr. Suarez, Val. Con. Laym. Bon. & alii plures. Ratio est, quia non sunt imponendæ obligationes, & præcepta sine fundamento: nullum autem fundamentum est, ex quo colligi firmiter possit talis obligatio. Et, quamvis Dicast. hic n. 105. ex variis Conciliis, & dictis SS. PP. colligat, fuisse olim præceptum Ecclesiasticum obligans ad susceptionem Confirmationis, recte tamen docet dub. 10. ap. Croix n. 195. nunc per desuetudinem desisse tale præceptum. Textus Trident. cit. pro initiandis prima tonsura, vel non continet præceptum, sed meram admonitionem juxta Suar. Navar. Con. Regin. Layman. vel non continet præceptum obligans sub grâvi ob levitatem materiæ, ut vult Pal. n. 6. in fin.

Notat hic Croix n. 402. quod Parochi debent monere populum de irreiterabilitate Confirmationis (ejus vero reiterationo, quamvis sit grave peccatum, non tamen inducit irregularitatem, quia jus id tantum statuit in baptismo) & de cognatione spirituali, quæ contrahitur in hoc Sacramento: unde, si habere non possit, ut in li-

brum referat nomina Confirmatorum, Parentum, & Patrino-
rum, saltem, dum matrimoniales contractus cele-
brantur, debet diligenter inquirere, num inter contra-
hentes sit aliqua cognatio spiritualis contracta, vel in
Confirmatione, vel in Baptismo.

DISPUTATIO IV.

De Eucharistia.

CUM Eucharistia, & Sacramentum sit, & Sacrificium,
in duas quæstiones præsens disputatio dividenda est,
quarum I. erit De Eucharistia, quatenus Sacramentum
est; II. De Eucharistia, quatenus est Sacrificium.

QUÆSTIO I.

De Eucharistia, quatenus Sacramentum est.

AGEMUS hic I. De Nomine, Institutione, Quiddi-
tate, & Natura Eucharistiæ: II. De Materia, &
Forma: III. De Ministro: IV. De Subjecto: V. De
Obligatione suscipiendi Eucharistiam.

CAPUT I.

De Nomine, Institutione, Quidditate, & Natura Eucharistiæ.

EUCHARISTIA, quæ vox græca est, græce idem
sonat, ac latine *Bona gratia*, Appellatur hoc no-
mine tale Sacramentum, tum quia continet Christum
gratiæ fontem; tum quia per ipsum uberior gratia, quam
per alia Sacramenta conceditur; tum denique quia est
pignus Vitæ æternæ, quæ gratia appellari solet juxta
illud Paul. ad Rom. 6. *Gratia Dei Vita æterna*. Aliis
etiam nominibus appellatur: dicitur enim *Viaticum*,
quia morituris viam parat ad gloriam, *Synaxis*, latine
Communio, quia per eam cum Christo Capite, & inter
nos ipsos conjungimur, & unimur, *Panis vitæ*, &
intel-

intellectus, quia vitam causat, & intellectum illuminat, *Panis Cœlestis*, seu *Qui de Cœlo descendit*, quia continet Christum de cœlo descendentem. Aliis etiam nominibus SS. PP. hoc Sacramentum explicant, ut videre est apud D. Th. 3. p. q. 73. a. 4. Abstinendum tamen esse à nomine *Cœnæ Dominicæ*, recte admonet Vasq.: nam eo utuntur Hæretici ad denotandum, Eucharistiam nihil aliud esse, quam Cœnæ usualis figuram, ac mortuam repræsentationem. Quamplures hærefes circa hoc venerabile Sacramentum in Ecclesia exortas videre quis per otium potest apud Croix à num. 405.

Hoc Sacramentum institutum fuisse à Christo Domino in ultima Cœna illius noctis, in qua traditus fuit in mortem pro nostrorum peccatorum satisfactione, testantur Evangelistæ Matt. 26., Marc. 24., Luc. 22. Nam Jo. 6. solum promittitur hujus Sacramenti institutio. Institutum igitur fuit die 14. Lunæ vicinioris æquinoctio verno die Jovis, quando juxta Legem Moysis comedendus erat Agnus Paschalis: & quidem institutum fuit post dictam cœnam legalem agni, ut figura præcederet veritatem, & post lotionem pedum, cœnantibus Discipulis cœna usuali, & communi, in qua Judas intinxit manum in paropside cum Christo. Unde manifeste colligitur, Christum Dominum consecrasse in azymo, ut facit Ecclesia latina, non in fermentato, ut facit Ecclesia græca: cum enim hoc Sacramentum instituerit primo die Azymorum, quando vetitum erat comedere fermentatum, & cum panem usualem consecraverit, dicendum, quod consecraverit azymum, aliter Christus Dominus dicendus esset transgressor legis prohibentis tunc usum panis fermentati, si in fermentato consecrasset. Suar. disp. 41. putat, cœnam communem fuisse post institutionem Eucharistiæ: at Becanus ex Maldonato dicit, primo fuisse cœnam legalem, secundo cœnam communem, tertio lotionem pedum, quarto cœnam Eucharisticam, quinto discessum Judæ, sexto concionem Domini. Porro fines, ob quos Christus Dominus hoc Sacramentum instituerit morti proximus, traduntur à Trid. *sess. 13. c. 2.*

Definitur Eucharistia *Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini ad spiritualem animarum refectiorem divinitus institutum.* Hæc definitio colligitur ex Trid. loc. cit., estque adæquata per genus, & differentiam; nam ratio Sacramenti di-

vinitus instituti est genus, cum sit ratio communis omnibus Sacramentis: reliqua verba continent differentiam.

Hinc sequitur primo, Ad hujus Sacramenti intrinsicam constitutionem pertinere tum species panis, & vini, ut continentes verum, & reale Christi Corpus, tum ipsum verum, & reale Christi Corpus, ut contentum sub speciebus; neque enim solæ species, neque solum Corpus Christi, sed ut contentum sub speciebus sunt spiritualis animarum cibus, & alimentum. Præterea species à Christo separatæ non sunt adorabiles adoratione patriæ, qua adoratione adorandum est hoc Sacramentum ex Trident. *sess.* 13. *c.* 5. neque Christus, seclusis speciebus, est nobis signum sensibile, quale debet esse quodlibet Sacramentum; & ita docent D. Th. Suar. Vasq. Laym. variis PP. & Conciliorum testimoniis doctrinam hanc confirmantes.

Sequitur secundo, Verba consecratoria esse partem essentialem hujus Sacramenti, & non merum requisitum, vel causam extrinsecam, ut docent Sot. Con. Pal. p. 2. n. 5. Ratio est, quia quodlibet Sacramentum constat rebus, & verbis: ergo etiam Eucharistia. Adde, Eucharistiam in fieri constitui ex verbis consecratoriis, ut patet: ergo etiam in facto esse, aliter diversum esset Sacramentum Eucharistiæ, quod fit, & quod perseverat. Neque dicas, transactis verbis consecratoriis haberi, & perseverare integrum Sacramentum, quin habeantur verba consecratoria: nam hæc, quamvis non perseverent physice, perseverant tamen moraliter; quæ moralis perseverantia sufficit ad constitutionem Sacramenti: sic, quando confertur absolutio Sacramentalis, perseverat moraliter confessio, quæ est pars essentialis Pœnitentiæ; & multoties, quando advenit consensus unius Conjugis, moraliter tantum perseverat consensus alterius Conjugis, qui constituit Sacramentum Matrimonii. Dicuntur autem moraliter perseverare verba consecratoria, quatenus vi ipsorum perseverat significatio, & existentia Corporis Christi sub speciebus Eucharisticis ad nutriendam animam.

Sequitur tertio, Sumptionem nullo modo esse partem constitutivam hujus Sacramenti, sed solum ejusdem applicationem, & conditionem necessariam, ut illud causet in actu secundo effectum: D. Th. Scot, & alii communissime contra Dicast. docentem, pertinere ad comple-

pletam Sacramenti essentiam. Ratio desumitur tum ex *Flor. in Decret. Eug. IV. ad Armenos* dicente, quod Sacerdos verbis Consecrationis conficiat Eucharistiam; tum ex *Trid. sess. 13. de Euchar. can. 4. & 6.* definiente, Christum esse in Eucharistia ante usum: ergo ante usum habetur Eucharistia; & *can. 7.* Eucharistiam asservari in Sacratio: ergo Eucharistia est sine usu: Nec valet paritas desumpta ab aliis Sacramentis; in quibus usus non est mera applicatio, seu conditio, ut Sacramentum causet effectum, sed est pars ipsius constitutiva. Nam in iis, quæ pendent à libera voluntate alterius, nullum est argumentum à pari: natura vero, & virtus Sacramentorum pendet unice à libera voluntate Christi Domini, quæ nobis innotescit per Scripturas, Concilia, & PP. Ut Eucharistia causet effectum suum, non sufficit sumptio, quæ consistat in mera positione Eucharistiæ intra os, ut putavit Becan. neque consistens in sola traiectione in certam partem faucium, ut putavit Suar., cui favet Busemb.; sed requiritur, ut aliqua pars specierum Eucharisticarum immediate tangat, & ita recipiatur in stomacho, tanquam primario nutritionis instrumento, ut facile inde revocari non possit: Croix num. 415. cum Lug. Compt. Gonet. Escob. Avers. quia tunc prius censetur habere rationem symbolicam cibi, & potus spiritualis: unde fit, quod, si quis tamdiu retineret species in ore, ut dissolverentur, aut si moreretur, antequam hostia in stomachum descenderet, non reciperet gratiam Sacramenti. Quid vero dicendum de Eucharistia per miraculum posita in stomacho sine sumptione? Variant Doctores. Suar. Compt. Rayn. Gon. & alii dicunt, in tali casu non esse causandam gratiam ab Eucharistia, quia deest manducatio, & Christus hoc Sacramentum instituit pro manducantibus. Econtra Lug. Rhod. & alii dicunt, causandam esse gratiam, si talis homo consentiat in illam positionem Eucharistiæ in stomacho; nam debet esse illi voluntaria, & ratio, cui innituntur, est, quia cibus naturalis sic miraculose positus in stomacho adhuc nutriet: ergo dici etiam potest, quod Spiritus sic positus nutriat: vid. Croix num. 416.

Sequitur quarto, Corpus, & Sanguinem Christi sub speciebus Panis, & Vini esse unum specie integrum, ac perfectum Sacramentum, non vero plura D. Th. Suar.

Suar. Vasq. Laym. Bonac. cum cæteris Scholaſticiſ. Colligitur ex Trid. ſeſſ. 7, can. 1. defin. Sacramenta novæ Legiſ eſſe ſeptem, nec plura, nec pauciora: ſi Corpus Chriſti ſub ſpeciebus Panis eſſet Sacramentum adæquate perfecte diſtinctum à Sanguine contento ſub ſpeciebus Vini, jam eſſent plura ac ſeptem. Idcirco etiam Pius V. in Catech. dixit, *Eucharistiã non plura, ſed unum tantum Sacramentum, Eccleſiæ auctoritate edoãti, conſitemur.* Unde autem hæc Unitas ſumatur, cum ſigna ſint phyſice omnino diverſa, diſcrepant Doctores. Alii dicunt, deſumendum eſſe ab eadem re ſub utriſque ſpeciebus contenta, quæ eſt Chriſtus. Alii ab eodem effectu, quem utraque ſpecies cauſat. Alii ab unitate Eccleſiæ ſignificata per hoc Sacramentum. Alii ex eo, quod idem pignus Gloriæ per utramque ſpeciem conceditur. Sed cæteris clarior eſt explicatio deſumpta ex unitate finiſ, ad quem ordinatur utraque ſpecies: ordinatur enim hoc Sacramentum ad refectionem animæ per modum convivii, quod ex cibo, & potu integratur: non ſecus ac unum dicitur Sacramentum Ordiniſ, quamvis à Subdiaconatu, Diaconatu, & Presbyteratu integretur, quia omnia ordinantur ad idem. Hoc ſolum diſcrimen eſt inter Ordinem, & Eucharistiã, quod, qui recipit Diaconatum, non recipit illam gratiam, quæ eſt propria Presbyteratus: at qui recipit Eucharistiã ſub ſola ſpecie Panis; eandem ſpecie gratiam recipit, ac qui eam recipit ſub utraque ſpecie, etiamſi verum eſſet, quod majorem extenſive gratiam recipiat, qui ſub utraque ſpecie communicat: ſicuti eandem ſpecie gratiam recipit, qui ſemel, ac qui bis communicat, quamvis hic majorem extenſive gratiam recipiat. Numerica vero hujus Sacramenti multiplicitas deſumenda eſt à multiplicitate ſpecierum non phyſica, ſed morali; hinc plures hoſtiæ aſſervatæ in eadem Pyxide unum dicuntur Sacramentum; Sacerdoſ, qui hoſtiam in tres partes diviſam ſumit, unum dicitur ſumere Sacramentum, quia faciunt unum cibum: contra vero, ſi eadem hoſtia in tres, aut plures partes diviſa tribus, aut pluribus ſumenda daretur, dicerentur tria, aut etiam plura Sacramenta, quia per multiplicem manducationem haberetur multiplex cibus. Unde inferes, non majorem gratiam recipi à ſuſcipiente plures particulas quam à ſuſcipiente unam; nam moraliter unus cibus eſt, ſive una, ſive plures particule ſimul

simul fumantur. Quamvis per hoc, quod Christus Dominus diutius sit in stomacho illius, qui plures simul particulas sumit, majorem successive gratiam in eo causet, supposita sententia Suar. & aliorum, quod Christus Dominus in stomacho existens, tamdiu gratiam causet ex opere operato, quamdiu, qui communicavit, ad illam se disponit per actus meritorios: sicut autem non recipit majorem gratiam, qui plures, ac qui unam tantum hostiam sumit; ita juxta D. Th. q. 80. a. 12. ad 3. contra Pal. Vasq. Lug. nec majorem gratiam suscipit, qui sub utraque specie, aut qui sub una tantum communicat; quia, cum uterque semel spiritualiter reficiatur, uterque unum Sacramentum recipit. At unum est discrimen inter sumptionem duarum particularum simul, & sumptionem specierum Panis, & Vini in eadem Missa, quod illa ita est sumptio unius Sacramenti, ut nullo modo dici possit duorum Sacramentorum partialium; at sumptio specierum Panis, & Vini in eadem Missa dici potest sumptio duorum Sacramentorum partialium, cum diversimode significant refectionem spiritualem, alix nimirum per modum Cibi, alix per modum Potus; & ex hac ratione non solum physice, & materialiter, ut duæ hostiæ, distinguuntur, sed etiam aliquo modo moraliter: ex qua diversitate morali possunt dici duo Sacramenta, non quidem totalia, cum integrent unum, idemque spirituale convivium, sed partialia. Hinc, qui recipit unam speciem, integram sumit refectionem, quamvis non integre repræsentatam; & in hoc sensu dici potest, quod non fumat integrum Sacramentum: quatenus non sumit omnes species integrantes hoc Sacramentum, & repræsentantes refectionem animæ per modum convivii, quod ex cibo, & potu completur: quamvis integrum Sacramentum recipiat quoad effectum gratiæ ab hoc Sacramento causatum.

Sequitur demum, hoc Sacramentum distingui à reliquis non solum in constitutivis, & effectibus, sed etiam in hoc, quod ejus materia proxima est quid permanens, cum qua moraliter perseverat etiam, ut dictum est, forma, quousque durant species Eucharisticæ, & sub ipsis Corpus, & Sanguis Christi; unde hoc Sacramentum dicitur permanens, quia est perfectum ante usum: at reliqua Sacramenta consistunt in usu, & non recipiuntur, nisi dum fiunt.

Natura

Natura hujus Sacramenti cognosci debet potissimum ab ejus virtute operativa; seu ab ejus effectibus. Effectus autem Eucharistiæ plures numerantur. Primarius effectus est augmentum gratiæ. Præter hunc effectum primarium plures causantur secundarii. Primo, Augmentum omnium Virtutum infusarum, quod augmentum sequitur connaturaliter augmentum gratiæ, cujus sunt veluti proprietates omnes habitus infusi. Secundo, Gratiæ actuales, quæ exiguntur à gratia habituali, & habitibus infusis, quæque proinde causantur quidem ab Eucharistia ex opere operato, sed mediate. Tertio, Fervor Charitatis, qui est specialis fructus Eucharistiæ, quæ idcirco dicitur Sacramentum amoris. Quarto, Actualis dulcedo, & delectatio, unde Eucharistia dicitur *Panis cælestis, omne delectamentum in se habens*. Quinto, Debilitatio habituum malorum, & emendatio vitiorum, præsertim libidinis; unde merito ipsi applicatur illud Zachar. 9. v. 17. *Fruentum electorum, & vinum germinans Virgines*: & hinc est, quod dæmon maximam Communionis nauseam soleat injicere impudicis. Sexto, Remissio venialium, ut habet Trid. *sess. 13. c. 2.* dummodo suscipiens Eucharistiam non habeat actualem effectum ad illa: qui effectus præstatur ab hoc Sacramento immediate ex opere operato secundum communionem sententiam, fatentibus Lug. & Dicastill., ad quod Con. Bonac. & Escob. sufficere dicunt virtuales detestationem contentam in ipsa voluntate suscipiendi Eucharistiam, adeoque magis, & intimius se conjungendi cum Christo: quamvis alii requirant aliam formalem detestationem venialium, quæ excitetur à specialibus gratiis ab Eucharistia causatis, & sic salvant, per Eucharistiam remitti venialia ex opere operato, at non immediate, sed mediate tantum. Septimo, Remissio pœnæ temporalis debitæ peccatis, *Secundum modum devotionis, & fervoris*, ut ait D. Th. Et sane cum venialibus remittitur etiam pars pœnæ ex opere operato: probabile insuper est ex Dicast., quod remittat etiam ex opere operato partem pœnæ debitæ peccatis antecedenter aliunde remissis: Octavo, Præservatio à peccatis etiam mortalibus, ut habent Trid. loc. cit. Catech. Rom. & SS. PP. apud Lug., qui effectus præstatur ab Eucharistia, quatenus hæc causat ex opere operato illustrationes mentis moventes ad odium peccati. Firmat animam in Charitate, minuit habitus pravyos, & exigit

exigit auxilia externæ protectionis, ut fuse ex Scripturis, & SS. PP. deducit Lug. Quia tamen hæc gratiæ, & hæc auxilia quoad usum subsunt nostræ libertati, hic effectus non est infallibilis, sed esset, si vellemus cooperari gratiæ divinæ. Nono demum, Æterna gloria, quæ specialiter tribuitur Eucharistiæ, quia Christus per Eucharistiam dat speciale jus ad gloriam: hinc Jo. 6. v. 55. dicitur: *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam:* vid. Croix à num. 678. ad num. 687.

Præter dictos effectus, quos causat in anima, alii etiam causantur in corpore. Primo, Quædam cordis dilatatio, vultus lætitia, oculorum modestia, linguæ refrænatio, maturitas incedendi, externi gestus modesta ordinatio, ac totius corporis reformatio: quos effectus causat mediate, utpote consequentes ad fervorem Charitatis, & ad Virtutes, quas operatur in anima: Secundo, Imminutio fomitis peccati: D. Th. Escob. Lug. Suar. qui putant, hunc effectum causari immediate ab Eucharistia, partim fugando dæmones, ne excitent species objecti turpis, partim comprimendo activitatem humorum, & amoliendo naturales causas ardoris concupiscentiæ: Tertio, Summa unio inter Carnem Christi, & hominis juxta text. nuper cit., unio enim, cujus ibi meminit Apostolus, licet non sit physica, sed moralis tantum, non est tamen per solam Fidem, vel Charitatem tantum, sed quasi realis, & naturalis; quare SS. PP. eam vocant corporalem: Quarto demum, Gloriosa Resurrectio Corporis, qui effectus non solum causatur ratione gratiæ, quæ est *Semen gloriæ*, sed etiam specialiter tribuitur Eucharistiæ juxta cit. textum *Resuscitabo eum in novissimo die:* vid. Croix à num. 688. ad 690.

CAPUT II.

De Materia & Forma Eucharistiæ.

SICUT in aliis Sacramentis datur materia remota, & proxima, ita etiam in Eucharistia, sed hoc discrimine, quod in aliis materia remota est quid permanens, proxima vero est remotæ usus, qui transit; in Eucharistia vero remota transit: quia convertitur in Corpus, & Sanguinem Christi Domini, proxima manet, nempe species

species Panis, & Vini. Porro remota materia hujus Sacramenti est Panis, & Vinum: est de Fide, & probatur ex institutione Christi Matth. 26. & Luc. 22. Utraque hæc materia est ita necessaria ad hoc Sacramentum conficiendum, ut nunquam, per se loquendo, licite una sine alia consecrari possit, quamvis valide consecraretur, idque de jure divino; quia ratio Sacrificii, sine quo hoc Sacramentum non conficitur, exigit utramque materiam: neque Pontifex potest in hoc dispensare: Dixi, *Per se loquendo*; nam per accidens potest dari casus, in quo Sacerdos non peccet unam tantum speciem consecrando, ut si post consecratam hostiam animo deficiat, & loquelam perdat, vel in amentiam incidat, nec sit alius Sacerdos, qui possit Sacrificium perficere; vel si subitum periculum mortis ab hostibus, vel ab incendio immineat, secluso scandalo, & contemptu Fidei, seu Sacramenti; vel, si Sacerdos aquam, aut alium liquorem ignoranter consecraret, nec defectum adverteret, nisi diu post, vel quando vinum simpliciter, aut sine scandalo haberi non posset. His suppositis explicandum est, Primo, Qualis debeat esse Panis in materia Eucharistiæ? Secundo, Quale Vinum? Tertio, Quæ conditiones ad materiæ Consecrationem requirantur? Quarto, Quænam sit forma Consecrationis.

§. I.

Qualis debeat esse Panis in materia Eucharistiæ?

SOLUS Panis triticeus est materia necessaria hujus Sacramenti, quia hic solus Panis absolute, & simpliciter panis nuncupatur. Colligitur aperte ex Concil. Flor. in Decr. Fid. & ex praxi, & traditione Ecclesiæ. Hinc, quando Concil. Carthag. relatum cap. In Sacramento d. 2. dicit, *In Sacrificio offerri de uvis, & frumento*, per frumentum intelligit triticum, quia hoc frumento abundat Africa, in qua habitum fuit hoc Concilium, ideoque illi populi nonnisi tritico ad panem utuntur, & hinc triticum absolute ab iis, sicut etiam ab aliis populis, dicitur frumentum.

Hinc inferes, non esse aptam materiam ad validam consecrationem panem confectum ex oriza, avena, milio, pis, fabis, amygdalis, castaneis, aliisque legumi-

minibus, vel arborum fructibus; item confectum etiam ex hordeo, quia hæc omnia ex communi usu, & opinione censentur specie distingui à tritico. Idem dicendum de amydo, quod conficitur ex tritico madefacto, & diu macerato, quia triticum per illam madefactionem, & diurnam macerationem non leviter corrumpitur, & quasi in aliam substantiam mutatur; unde panis ex eo confectus panis usualis dici non potest: Pal. hic p. 4. num. 2. citans D. Th. Vasq. Laym. & alios. Siligo, & spelta sunt saltem materia dubia: quamvis enim plures, & graves Doctores dicant, esse materiam validam consecrationis; alii tamen vel negant, vel dicunt, id non esse certum: v. Croix n. 421. & n. 422. Hinc mortaliter peccaret, qui in dictis materiis consecraret, cum ex dictis d. 1. illicitum sit in Sacramentis conficiendis sequi opinionem probabilem circa valorem Sacramenti, ommissa tutiore.

Panis triticeus consecrationi deserviens debet esse confectus ex aqua naturali, & igne tostus, quia hic communiter dicitur, & reputatur Panis, hinc confectus ex melle, lacte, oleo, aqua rosacea, butyro, ovis, saccharo, vel ex alio liquore non est materia valida consecrationis: & quamvis Cajet. & aliqui alii doceant, panem subactum lacte esse materiam idoneam consecrationis; certo tamen est illicita, & probabilius invalida: uti & subactus aqua rosacea, quia non est panis usualis, sed cum addito, seu dulciarius, vel placenta: ita communiter cum Dian. p. 9. t. 9. ref. 58. & Tann. contra Valent. Sa. & alios. Sic, etiam si vinum coqueretur cum pane, nec panis, nec vinum esset consecrabile, quia illud simpliciter non esset Panis, aut Vinum, sed aliquod tertium artificiale decoctum, Dian. loc. cit. & Croix n. 426. Si tritico, ex quo conficitur panis, admixta sit alia materia, puta hordeum, in quantitate æquali, tota materia erit inepta ad consecrationem: quia, si tunc fiat perfecta mixtio ex utroque frumento, resultabit ex ea panis, qui neque erit triticeus, neque hordeaceus, sed tertiæ speciei: si vero non fiat perfecta mixtio, erit panis partim triticeus, partim hordeaceus, sed, quod inerit triticeum, non erit consecrabile quia non poterit præ hordeaceo demonstrari. Quod si parum aliquid hordei, aut alterius frumenti admixtum sit tritico, ex quo conficitur panis, hoc modicum censebitur absumi à plurimo, ait D. Th. apud Croix n. 424.

R. P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III. G. Hinc

Hinc inferunt Gob. & alii, quod si sal per errorem admisceatur, licet possit talis Panis consecrari etiam extra casum specialis necessitatis; vix enim unquam accidet, ut panis conficiatur ex puro purissimo tritico, sine ulla etiam modicissima immixtione alterius materię; probabile tamen est, quod in tali casu parva illa quantitas rei alienę, quę una cum tritico efficit panem usua-lem, quęque seorsim à tritico non esset consecrabilis, reipsa consecratur in Corpus Christi: ita Lug. & Bernal. contradicentibus etiam probabiliter Suar. Amic. Hurt. Averf. v. Croix num. 425.

Demum hostię rubrę, quibus figillantur literę, non sunt materia consecrationis, quia per admixtionem cinnabaris multum alterantur: ita Lug. & Busemb. At Ant. Perez limitat, si multum cinnabaris sit admixtum; si autem valde purum, probabile esse dicit, quod sit materia valida, quamvis illicita. Panis subactus aqua marina in-
ptus ad consecrationem reputatur à Fag. contradicente Diana p. 9. t. 9. ref. 58. qui dicit, aquam marinam esse
quam naturalem.

Ut Panis sit usualis, debet coqui, vel in furno, vel supra cineres, vel inter ferri calidi laminas, vel saltem in vase fictili, ut communissime docent Doctores cum Tann. Hinc, si coqueretur in aqua, vel ad solem exsiccaretur, aut frigeretur in oleo, non esset materia apta ad consecrationem, quia non est vere panis, qualis est in usu communiter, & qualem creditur Christus adhibuisse: Amic. Averf. Bern. Quod si panis semel coctus manu humectetur, & quasi reducatur in massam, manet materia consecrabilis, quia illa humectatio non tollit rationem Panis, quam accepit per coctionem, nec panis reducitur ad puram massam: Vasq. Averf. Bern. Addit Lugo, quod Panis, si inter digitos comprimatur ad excludendum vinum, cum quo faciebat offam, erit consecrabilis, quamvis repugnent Trull. & Fag. apud Dian. At Croix num. 427. cum Amic. probabilius esse putat, quod panis vino imbibitus sit materia consecrabilis, quia est vere panis, & habet rationem cibi.

Panis triticeus, sive fermentatus sit, sive azymus, semper est valida materia consecrationis. Quando igitur ad Cor. 5. v. 5., & ad Gal. 5. v. 9. dicit Apost; *Modicum fermentum totam massam corrumpit*, intelligendum est, quod totam massam pervadat, & alteret; non vero, quod ita corrumpat, ut tollat rationem panis usualis. Quam-

Quamvis autem panis azymus apud nos non fit in usu, adhuc tamen est panis usualis, quia fit, ut communiter fiunt panes, subigendo farinam aqua naturali, & coquendo per ignem, & erat in usu certis saltem diebus tempore Christi Domini, quod autem nunc apponatur fermentum, ex eo est, quod sic fit sapidior, magis conducit valetudini, & diutius fervatur: Croix num. 429.

Quamvis uterque panis, azymus nempe, & fermentatus sit valida materia consecrationis, non est tamen uterque pro omnibus materia licita: nam ex præcepto Ecclesiæ sub gravi obligante Sacerdos græcus tenetur consecrare tantum in fermentato, latinus tamen in azymo. Id autem fervare tenetur græcus, ut præmonuimus etiam de Legibus t. 1. d. 2. q. 3. c. 3. circa finem, non solum in Græcia, sed etiam in quocunque templo græcorum apud latinos stabiliter constituto, sicuti latinus tenetur sub gravi fervare ritum suum consecrandi in azymo non solum in latino, sed etiam in quocunque Templo latinorum apud græcos stabiliter constituto; hoc ipso enim, quod eis ibi permittitur templum, in eo se habent, sicuti essent in patria propria: Croix n. 430. ex Dian. & Dicast. addentibus, non posse latinum Romæ in templo græcorum consecrare in fermentato, nec græcum in templo latinorum in azymo. Quod si græcus, aut latinus figat domicilium, ubi non est templum sui ritus: debet se accommodare ritui illius loci, quia jam censetur translatus ad illum: Suar. Con. Dicast. Tamb. At si alicubi sit peregrinus, ubi non est templum sui ritus, potest celebrare in utroque pane, quia peregrinus potest se accommodare legibus loci, in quo est, etiamsi sint contrariæ legibus loci, in quo habet domicilium: Nav. Sanch. Con. contra Vasq. & Averf. putantes, quemlibet ubivis teneri fervare ritum suæ Ecclesiæ, etiamsi per longum tempus alicubi immorari deberet: quod consilii esse dicunt Con. & Tamb. Probabilius est, non licere Sacerdoti latino consecrare in fermentato etiam pro necessitate Viatici dandi moribundo: quia præceptum Viatici licet divinum, est tamen affirmativum, & non obligat, nisi quando commode fieri potest, & in debitis circumstantiis: neque Eucharistia est adeo necessaria, ut negligi possit observantia præcepti circa ritum tam convenientem: Sot. Suar. Henr. Fill. Laym. Dicast. Dian. Pal. Bonac. Lug. contra Major., cujus tamen sententiam Tann. & Gob. dicunt, se non audere

damnare, secluso scandalo, & perturbatione. Notant tamen priores Doctores, facilius concedendum Græco, quod in tali necessitate consecret in azymo. Demum addit Dian. ad evitandam mortem licite latinum consecrare in fermentato, quia præcepta humana non obligant cum dispendio vitæ. In eadem necessitate dandi Viatici, Con. cum aliis apud Croix num. 433. docet, posse consecrari hostiam aliquantum corruptam, alia deficiente; sed rectius alii negant ex nuper memorata ratione, quia scilicet cum Eucharistia non sit simpliciter, & absolute necessaria ad salutem, ejus sumendæ præceptum non obligat, nisi decenter, ac reverenter ea consecrari, ac sumi possit.

Ex præcepto pariter Ecclesiæ panis consecrandus debet esse figuræ orbicularis in Ecclesia latina, & integer, Græci adhibent figuram quadratam, & in particulis triangularem, teste Arcudio. Veniale tamen est, secluso scandalo, consecrare sine rationabili causa hostiam fractam, vel non integram, vel maculatam, nisi fractura, aut macula esset enormis. March. Dian. Tamb. & Averf. apud Busenbaum hic docent, licitum esse celebrare in hostia minore, quæ datur laicis, quando deest alia grandior, quæ adhiberi solet in Missa, & scandalum abest; quia nullum adest de hoc præceptum, & non constat de consuetudine obligante sub gravi: quo casu Tamb. contra Dian. & March, permittit elevare adorandam hostiam majorem ab alio præconsecratam. Non licet tamen parvam sumere, & majorem relinquere ad exponendam e. g. in hierotheca, nisi ipse eadem Missa illam consecraverit, quia debet sumere de suo Sacrificio: unde Parochus renovaturus Eucharistiam non debet ab alio consecratam sumere, & à se consecratam reponere in Ciborio: Tamb. Lug. Si tamen post oblationem deprehendat fracturam, aut ipsemet casu frangat, licite eam consecrabit, nisi timeat scandalum, quia tunc deberet aliam hostiam petere, & fractam post abolutionem sumere, aut etiam reservare sumendam reverenter à quovis post Missam: Gob. Croix num. 423.

§. II.

Quale debeat esse Vinum in materia Eucharistia?

SOLUM Vinum de vite, & nullum aliud est valida materia consecrationis Calicis. Colligitur ex Matth.

26. &

26. & Luc. 22. addita Ecclesiæ traditione; & definitum est in Concil. Flor. in *Decr. Fidei*; ac supponitur in Trid. *sess. 13. cap. 1. 2.* Hinc resolvuntur sequentia.

Primo, Vinum debet necessario esse ex uvis expressum, nam quousque liquor ille est intra uvam, neque est potabilis, sed potius comestibilis; neque est demonstrabilis pronomine *Hic*, cum non sit sub uvis, ut totum quoddam, sed ut pars in toto; neque est aptus. cui aqua admisceatur: Pal. p. 4. n. 7. cum D. Th. Con. Laym. Bonac. Suar. Vasq.. Idem dicendum de Vino imbibito in ossa panis, quia neque est potabile in tali statu, neque demonstrabile pronomine *Hic*. Quod si erumperet supra panem; sicuti etiam, si ex uva puncta erumperet succus quasi in bullas probabilius ex Suar. & Haun. contra Arriag. esset materia consecrationis: liquor tamen expressus jam ex uvis maturis. licet non sit defæcatus, quique communiter *Mustum* appellatur, est valida materia Calicis, quia est simpliciter vinum; quamvis non sit decens illud adhibere in Missa, & grave peccatum esset tali materia uti absque urgente causa: Pal. cit. cum Vasq. Suar. Laym. Bonac. Dian. Dixi, *Ex uvis maturis*, nam liquor expressus ex uvis immaturis, quæque vulgo dicuntur *Agresta*, non est materia consecrationis, quia vini naturam non consequitur: ita D. Th. ab omnibus receptus teste Pal. cit. Succus tamen expressus ex uvis passis consecrabilis reputatur ab Amico ap. Dian. p. 7. r. 12. resol. 8. quia est verum vinum.

Secundo, Vinum congelatum probabilius est materia validæ consecrationis: Sylv. Sot. Con. Bonac. Laym. Busemb. Lug. Pal. num. 8. quia adhuc retinet substantiam, & appellationem vini, & de se est potabile. Disparitas, cur aqua congelata non sit materia baptismi, sit vero materia Eucharistiæ vinum congelatum, est, quia baptismus consistit in ablutione actuali, quæ non habetur per aquam congelatam: e contra vero Eucharistia non consistit in actuali potatione, sed in materia de se potabili, quod verificatur etiam de vino congelato. Hinc Pius V. *In Rubr. Miss. de defectibus Missæ §. in hyeme* statuit, ut vinum congelatum post consecrationem igne liquefiat ante summptionem, supponens species vini non corrumpi ob congelationem, sed potius consecrationi aptas remanere. A quibusdam tamen ob negantium auctoritatem merito

dicitur materia dubia: quare grave peccatum esset vinum congelatum consecrare: at, si prius fuerit congelatum, & postea liquefiat, non est improbable, quod licite consecretur, quamvis minus decenter, quia est verum vinum, & potationi aptum, licet congelatione aliquo modo immutatum: Suar. & Con. apud Pal. cit.

Tertio, Non est materia apta consecrationi neque lora, genus scilicet potionis, quæ fit ex vinaceis aqua maceratis, postquam totum mustum ex acinis est expressum; neque sapa, seu defrutum, hoc est mustum decoctum, & redactum, sive ad tertiam, sive ad dimidiam partem: neque acetum, quamvis ex vino fiat. Ratio est, quia tam acetum, quam sapa, seu defrutum est in aliam à vino naturam transmutatum: lora vero potius est aqua temperata, quam vinum. Quod si mixtio aquæ in minima quantitate contingeret, esset materia consecrationis: esset tamen grave peccatum in ea consecrare: Pal. p. 4. n. 9. ex Suar. Vasq. Bonac. & aliis communiter. Hinc Pius V. *Rubr. de defectibus in Missa occurrentibus*, Sacerdoti advertenti post consecrationem, sive in ipsa sumptione, se consecrasse acetum præcipit, ut vinum apponat, & denuo consecret: & Greg. XIII. jussit, deleri Glossam in cap. 2. de *Consecrat. dist. 2.* affirmantem, acetum esse materiam consecrationis: quare, si verum sit, Isidor. Innoc. III. aliosque Doctores dixisse, acetum esse materiam Consecrationis, intelligendi sunt non de aceto perfecto, sed de vino acido, seu aciescente: quod tamen sine gravi peccato extra urgentem necessitatem adhiberi non potest. Quod si post sumptionem, vel etiam ante eam, sed post consecrationem dubium incidat, an materia consecrata fuerit necne acetum, præsumendum est, quod fuerit vinum, ut docet Tamburin. lib. 2. de *exp. Sacrif.* cap. 7.

Quarto, A fortiori non sunt materia consecrabilis liquores expressi ex pomis malogranatis, & aliis fructibus, quia non sunt vinum: communissime Doctores. Solum dubitari posset de vino miraculose facto ex aqua: Croix num. 432. ex Arriag. & Dicast. dicit, tale vinum fore materiam consecrabilem, sicut etiam panem, qui miraculose fieret ex lapide: unde concludit, à materia consecrationis excludi solum alios liquores; qui non sunt simpliciter tale vinum, quale est illud de vite.

Vino consecrando miscenda est aqua necessitate non Sacramenti, sed Præcepti, & probabilius non Divini, sed

sed Ecclesiastici, obligantis tamen sub gravi: ita communiter Doctores cum D. Th. Suar. Dicast. Vasq. Con. Bonac. contra Alenf. Hosium, Valent. Henr. Ratio est, quia Flor. in Decr. Eug. IV. *ad Arm.* dicit, esse juxta Canonum præceptum, & Trid. *sess.* 22. c. 7. expresse dicit, esse Præceptum Ecclesiæ. Hinc valida esset, sed graviter illicita consecrationi vini puri sine ulla aquæ admixtione. An autem aqua vino admixta convertatur, necne immediate in Sanguinem Christi, disputant Scholastici. Quod vero Christus instituerit hoc Sacramentum in Vino aqua permixto, uti dicunt Flor. Aurel. IV. Carthagin. III. & Trid. hoc non probat, talem mixtionem aquæ esse de necessitate, sive Sacramenti, sive Præcepti Divini: nam non omnino id, quod Christus servavit in instituendo hoc Sacramentum, dicendum est necessarium ad hoc Sacramentum conficiendum necessitate, vel Sacramenti, vel Præcepti Divini: aliter dicendum esset, quod panis azymus sit de necessitate Sacramenti, vel Præcepti Divini, quia Christus in azymo consecravit: similiter discurrendum esset de vino albo, vel rubro, quia in alterutro debuit Christus consecrare. Itaque non ex eo præcise colligimus, aliquid esse de institutione, vel præcepto Christi, quia Christus illud fecit; sed quia fecit, & aliunde vel ex ipsis verbis Christi, vel ex auctoritate Ecclesiæ, & PP. Christi voluntatem declarantium nobis constat, tale fuisse Christi, non tantum consilium, sed præceptum.

Quamvis vero hoc præceptum sit mere Ecclesiasticum, & consequenter absolute loquendo, posset Ecclesia in eo dispensare, nunquam tamen dispensat, & potius à celebratione abstinendum est: Suar. Spor. Imo Suar. addit, quod si Sacerdos apud oblationem advertat, haberi non posse aquam, debet interrompere Missam; Bonac. tamen putat, quod in casu, quo quis nunquam sumpsisset Eucharistiam, & deberet decedere sine Viatico, posset Sacerdos consecrare aqua.

Aqua vino miscenda, debet esse naturalis, eaque modicissima ex Flor. si tamen admisceatur aqua artificialis, etiam in necessitate, illicita graviter, quamvis valida erit consecratio. D. Thom. Mol. Dian. quia agitur contra præceptum & consuetudinem Ecclesiæ in re gravi, ex qua ratione etiam grave peccatum reputat Fag. admiscere aquam calidam, sed merito contradicunt alii ap. Dian. p. 6. t. 7. resol. 18. ubi addit, quod si in frigidissimo loco

consuetudo id ferat, ne vinum congelascat, potest sine ullo peccato fieri.

Quod vero attinet ad quantitatem aquæ admiscendæ, Lug. docet, posse sine scrupulo admisceri sextam, vel quintam partem. Consentit Bern. pro locis calidis: at pro locis frigidis admisceri posse, ait, sine scrupulo decimam, vel octavam partem. Gobat tamen etiam pro Germania dicit, vino mediocri admisceri posse quintam partem, quia regulariter loquendo nullum vinum putat esse adeo debile, ut tam modica aqua corrumpatur. Semper tamen tutius parum affundere: ait D. Th., qui addit, sufficere guttulam, dummodo sit sensibilis, quando affunditur. Si mixtio aquæ omissa sit, & suppleatur ante consecrationem, repeti debet oblatio Calicis, quia nihil consecratur, quod prius oblatum non fuerit: Croix num. 440. Demum hæc mixtio faciendâ est in ipso Sacro, vel ante offertorium, vel saltem immediate ante Sacrum, ut fit apud quosdam; & faciendâ est, vel ab ipso Sacerdote in Missa privata, vel à Subdiacono in solemnâ, & quidem in ipso Calice, qui consecrandus est: unde non debet fieri domi in dolio, vel in ampulla, aut alio vase: Bon. apud Buf.

§. III.

Quæ Conditiones requirantur ad materiæ Consecrationem?

AD validam materiæ Eucharistiæ consecrationem duæ conditiones requiruntur. Prima est, ut sit præsens Consecranti: Secunda, ut sit certa, & à Consecrationis intentione in individuo determinata.

Primo igitur debet esse præsens Consecranti; & ratio desumitur ex institutione Christi, & verbis formæ *Hoc*, & *Hic*, quæ non verificarentur circa materiam non præsentem, cum sint pronomina demonstrativa. Adde perpetuam, & constantem Ecclesiæ praxim nunquam consecrantis, aut etiam benedicentis res absentes. Demum ex ratione sacrificii, quem habet Eucharistia, etiam constat necessitas dictæ præsentiae; sacrificium enim requirit hostiam præsentem. Sufficit autem illa moralis præsentia, qua res est humano modo, vel ad sensum demonstrabilis per pronomen *Hoc*, vel *Hic* independentem ab omni alio signo sensibili.

Hinc

Hinc inferes primo, Valide consecrari vinum in calice cooperto, vel in alio vase clauso, hostias in ciborio, vel in cumulo sub aliis latentes, aut aliter tectas v. g. sub corporali, vel mappa, vel etiam in missali: Suarez, Henr. Con. contra Layman. quare hoc postremum videri debet dubium, & graviter peccaret, qui hostias sic latentes consecraret. Item valide consecrari hostias præsentes à cœco, vel à non cœco in tenebris. Ratio horum omnium descendit est dictis, quia nimirum ad moralem præsentiâ materiæ consecrabilis non requiritur, ut videatur, aut tangatur, vel feriaturo sono verborum (unde non est probanda praxis eorum, qui os proxime admovent, ut halitum in panem, aut calicem immittant) sed sufficit ejus demonstrabilitas pronomine *Hic*, vel *Hoc* independenter à quocunque alio signo: ad quod satis est, si materia videri possit, vel in se, vel in alio continente. Contra vero non est materia consecrabilis panis infra pedem positus, quia non est demonstrabilis per ly *Hoc*, nisi addito alio signo, e. g. digito in eum intento, vel saltem aliquo nutu: ita communiter cum Dicast. & Croix n. 443. Hostia posita post tergum, & in speculo ante Sacerdotem existente repræsentedata consecrabilis reputatur à Bernal. apud Croix l. c. quia sic est ad oculum demonstrabilis. Idem sentiunt Dian. Dicast. Ariag. Amic. contra Sotum, & alios de hostia, quæ à Sacerdote tangatur, vel in manu teneatur post tergum. Probabilius vero invalida esset consecratio, si quis proferens formam, digito ostendat panem à tergo positum, quia non demonstratur solo pronomine *Hoc* independenter ab alio signo.

Inferes secundo, Invalide consecrari materiam positam post parietem, vel clausam in tabernaculo, ut docent Fill. & Bonac. quia sic moraliter censetur abesse, nec est demonstrabilis pronomine *Hic*, vel *Hoc*. Materia vero posita à latere, dummodo censeatur esse moraliter ante Consecrantem, potest valide consecrari: hinc non consecrarentur hostiæ, si in ciborio positæ essent, non in Altari, sed in Credentia ad latus: Croix n. 444. ex Dicast. Similiter non est valide consecrabilis materia longe distans à Consecrante, e. g. 100. passibus, quamvis videri possit, ex eadem ratione: quanta autem propinquitas requiratur, certo definiri non potest, sed remittendum est judicio prudentium. Henr. l. 8. c. 34. docet, 20. aut 30. passuum, quod Bernal. & alii dicunt

non esse certum. Demum nec est valide consecrabilis materia in tam modica quantitate, ut non sit sensibilis, seu non possit sensu percipi, quia tunc non esset demonstrabilis, præterquam quod omne Sacramentum debet esse signum sensibile: Suarez, Vasq. & alii contra Sotum, & Henr. Hoc autem intelligendum est, si non fit in toto, quia in toto etiam minimæ particulæ valide consecrantur, ut constat ex Trident. *sess. 23. c. 3. & 4.*

Secunda conditio, ut scilicet materia sit certa, & in individuo determinata à Consecrantis intentione, etiam colligitur ex verbis formæ: nam pronomen *Hic*, & *Hoc* id requirunt: adde actiones esse circa singularia, quæ debent esse certa, & determinata.

Hinc habes, invalide consecrare, qui ex multis hostiis unam, aut plures intenderet consecrare, eas non determinando, vel qui intenderet consecrare designandam, vel designandas à Deo, vel à Titio, etiam posita tali designatione; vel qui eas tantum partes hostiæ, aut vini vellet consecrare, quas Deus elegerit, vel tantum dimidium, aut tertiam ejus partem, eam non determinando, vel tantum partes illas, quæ, fracta hostia, mansuræ sunt in continuo, non quæ excident: quia non sunt materia certa, & definita, ac demonstrabilis pronomine *Hoc*, aut *Hic*. Idem dicit Croix n. 455. ex Lug. & Bern. de hostia signata à Sacerdote v. g. rubrica, & postea cum multis aliis confusa, si illam tantum velit consecrare, & ea ita lateat sub aliis, ut nullo sensu percipiatur, quia sic non est moraliter demonstrabilis neque in se, ut supponitur in casu, neque in alio seu in continente; nam demonstrato ciborio, non magis demonstratur illa, quam aliæ; unde pronomen *Hoc* non cadit determinate supra illam. Contra vero, si Sacerdos è pluribus hostiis unam, aut duas tantum vellet consecrare, eas determinando, e. g. omnes præter infimam, & supremam, vel omnes pares, v. g. secundam quartam, sextam, si sint ordine collocatæ, & determinando, unde initium numerationis sumendum esset, quod tamen grave peccatum esset. & in tali casu, si consecratæ miscerentur cum non consecratis, totus cumulus consecrandus esset sub conditione, vel Sacerdos in earum consecratione deberet haberet intentionem consecrandi tantum non consecratas in illo cumulo,

Quæ-

Quæres primo, An error Sacerdotis consecrantis circa numerum hostiarum à se consecrandarum obstet validæ consecrationi omnium?

Respondeo, Casum esse hunc: putat Sacerdos particulas à se consecrandas esse decem, cum sint plures, vel hostiam grandem à se sumendam esse unam de more, cum sint duæ simul junctæ: Quæritur, an omnes consecrentur? Dico, omnes consecrari, dummodo Consecrans non intendat explicite excludere illas, quas per errorem putat non adesse, si adessent. Ratio est, quia error speculativus, & privatus non obstat intentioni practicæ, & absolutæ consecrandi omnes præsentés, quam, tanquam Ecclesiæ consuetudini conformem, quisque præsumitur habere implicite: Busemb. hic cum Sylvestr. Suárez, Henr. Hinc, si Sacerdos post consecrationem advertat, esse duas hostias simul junctas, utramque, ut consecratam sumet, ut præcipitur in Missali; si id advertat post oblationem ante consecrationem, alteram seponet, à se, vel ab alio post Missam sumendam, tanquam panem benedictum.

Quæres secundo, An censendæ sint consecratæ particulae in ciborio, seu pyxide positæ in Altari, ut consecrentur à Celebrante, si hic tempore consecrationis nullimode ad eas reflectat, aut de illis cogitet?

Respondeo, Si celebrante non advertente, illæ particulae fuerunt positæ in altari, sive in corporali, sive extra, & Celebrans usque ad consecrationem inclusive nunquam advertit, eas adesse, nec consequenter unquam intenderit eas consecrare, non consecrari: quia deest intentio requisita ex parte Ministri, ut patet. At si Sacerdote advertente, ciborium continens particulas pro communione laicorum fuit positum in corporali, ibique mansit ad consecrationem inclusive, & Celebrans intenderit eas consecrare, maxime si in oblatione earum meminerit ipsas offerendo, dicendæ sunt consecratæ, licet deinde tempore consecrationis non habuerit expressam reflexionem ad illas, quia ex dictis disp. i. q. 2. illa intentio prius habita virtualiter perseverat: & hanc esse communem sententiam cum Pal. Dicast. Busemb. ait Croix n. 458. Quod si ciborium cum particulis, Sacerdote advertente, & sciente eas debere consecrari, positum fuit in altari, sed extra corporale, & Consecrans nullimode de illis cogitavit; probabilius est, eas non
con-

non consecrari, quia Sacerdos censetur nolle consecrare extra corporale, quia velle consecrare extra corporale est peccatum: quare videtur habuisse intentionem consecrandi, si eas assumeret in corporali: Suarez, Dian. Pal. Gavant. Lessius, Avers. Tambur. apud Croix num. cit. qui addit, probabile etiam esse oppositum, quia potest Sacerdos in tali casu absolute velle eas consecrare, nihil cogitando de corporali. Hinc concludit, rem esse dubiam, & in praxi tales hostias esse de novo consecrandas sub conditione in alia Missa. Nunquam vero licet in eadem Missa repetere formam ad consecrandas hostias minores, si oblitus sis consecrare simul cum hostia majori. Potest tamen sub canone usque ad consecrationem admitti materia consecranda, quæ tunc mentaliter est offerenda ante consecrationem, si, eam excludendo, plures dimittendi essent sine Communionem: Possev. Dian. Quart. Tamb. apud Croix n. 460.

Quæres tertio, Quid dicendum de guttis vini, quæ intra calicem sunt separatæ à vino, quod est in fundo?

Respondeo, Si Sacerdos nihil specialiter intendat circa illas, Suarez, Reg. Con. Layman. Dian. & Hurt. docent, eas non consecrari: alii vero distinguunt; & si tales guttæ sint remotæ à vino, quod est in fundo, censent, non consecrari; secus vero vicinas, ita ut levi calicis motione misceri possint cum reliquo vino in fundo calicis, quia cum hoc censetur facere moraliter unum. Utraque sententia probabilis, sed probabilior secunda ex Croix n. 459. Pro praxi ex Platel. tales guttæ vicinæ, si advertantur ante consecrationem, levi calicis agitatione miscendæ sunt cum vino, quod est in fundo: remotæ vero, vel abstergendæ, vel excludendæ ab intentione: quamvis possint etiam includi in intentione, ne in calice sit vinum, quod non consecratur. Consultius tamen videtur esse, ut Sacerdos stabiliter intendat consecrare tantum id, quod per modum unius continui est in Calice: Busemb. dub. 5. Similiter Sacerdos non debet intendere consecrare minimas particulas panis in patena, vel corporali, sed tantum quod continuum est cum hostiis in patena, vel corporali depositis: secus dicendum est de talibus particulis panis in Ciborio contentis; neque enim periculum est eas perdendi: nam omnes particule in fundo ciborii repertæ communiter censentur consecratæ, quamvis ignoretur, an intentio Consecrantis fuerit specialiter directa ad illas.

Haftenus

Haecenus sermo fuit de conditionibus requisitis ad validam materiae consecrationem: addendum nunc superest, quid requiratur ad licitam ejusdem consecrationem? Breviter dico cum Busemb. requiri, ut Sacerdos consecraturus non recedat ab usu Ecclesiae, praesertim in Missali praescripto; & insuper ut quantitas materiae consecrandae non sit major, quam tempore opportuno possit absumi, ad evitandum periculum, quod species corrumpantur. Hinc peccat, qui vas, in quo hostiae consecrandae sunt, non aperit tempore consecrationis; qui materiam consecrat extra corporale, ut modo dictum est, qui guttas calicis exterius adherentes intenderet consecrare (de interioribus vide, quae modo etiam supra diximus) & qui ante consecrationem sic intentionem formaret, *Nolo hostias appositae consecrare, nisi tempore consecrationis, vel saltem oblationis fuero memor*: ita Praepos. & Layman. quamvis Tambur. nullum in tali casu peccatum agnoscat.

§. IV.

Quenam sit Forma consiciens Eucharistiam?

SICUTI materia Eucharistiae est duplex, Panis scilicet, & Vinum, ita duplex est forma, altera scilicet consecrativa Panis, altera Vini. Forma consecrativa Panis est haec, *Hoc est Corpus meum*, quibus verbis significatur perfecte praesentia Christi sub speciebus panis: reliqua verba, sive antecedentia, sive subsequenda sunt de necessitate praeccepti, non Sacramenti: imo in praedictis verbis particula *Enim*, cum apposita fuerit ab Ecclesia ad conjungendum sermonem, non est necessaria ad validam consecrationem, & ejus omissio ex negligentia, & incuria erit tantum veniale peccatum. Forma vero consecrativa Vini est haec: *Hic est enim Calix Sanguinis mei novi, & aeterni Testamenti, Mysterium Fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*: circa quae verba, quamvis probabilis sit, essentialia esse tantum illa, *Hic est Calix Sanguinis mei*, vel *Hic est Sanguis meus*, aut iis aequivalentia; graviter tamen peccaret, qui aliqua ex sequentibus omitteret, vel mutaret.

Ad exponendum sensum dictarum formarum dupliciter explicant Doctores ly *Hoc*, & *Hic*. Primo, ut faciant hunc sensum, *Haec res, aut haec substantia contenta in fine*
pro-

propositionis sub his accidentibus est *Corpus meum*, est *Sanguis meus*: ita Suarez, Tan. aliique communius. Secundo, Referendo pronomina illa ad prædicatum, ita ut sensus sit, *Hoc Corpus est Corpus meum*, *Hic Sanguis est Sanguis meus*: non secus ac, dum quis dicit, *Hæc est mater mea*, sensus est: *Hæc mater est mater mea*; ita Vasq. Maldon. & alii. Utrique probabiliter ex Croix n. 463. Illud est certum, quod ly *Hoc* non debet intelligi *Hic panis*, quia esset falsa propositio, cum falsum sit, panem esse Corpus Christi, aut quod maneat cum Corpore Christi; neque ly *Hic* intelligi debet adverbialiter pro *Hoc loco*. Item ly *Meum*, & *Mei* referri debet ad Christum, & intelligi debet Sanguis Christi, & Corpus Christi, in cujus persona loquitur Sacerdos consecrans: unde si quis per ly *Meum*, & *Mei* intelligeret tantum suum Sacerdotis corpus, & sanguinem, consecratio esset invalida: Gob. apud Croix num. 464. Hinc sequitur, formam consecrationis à Sacerdote proferri non mere recitative, & historice, sed etiam formaliter, significative, assertive, & operatorie. Quando autem hujusmodi forma mutetur accidentaliter, quando substantialiter; & proinde, quando fit invalida, quando saltem illicita, v. dicta d. I. q. I. c. 2.

Verba, quæ diximus esse de essentia formæ consecrationis, operantur effectum suum ponendi Christi Corpus, & Sanguinem sub speciebus panis, & vini, statim ac finitur eorum prolatio. Constituitur autem vi verborum consecrationis Christi Corpus, & sanguis sub speciebus Eucharisticis, non tanquam subjectum, cui illa accidentia inhæreant, sed tanquam vices subjecti gerens ea accidentia altiori, & efficaciori modo sustentando. Hinc Concilia, & PP. actionem, qua hæc omnia fiunt, *Transubstantiationem* appellant, hoc est conversionem unius substantiæ in aliam sub eodem termino, quatenus verba consecrationis ex Divina institutione eam vim, & efficaciam habent, ut eo ipso, ac debito modo proferuntur, Corpus Christi, ac Sanguinem constituent sub accidentibus panis, & vini, annihilata integra substantia, tum panis, tum vini. Totum autem Christum per consecrationem constitui sub utraque specie, de Fide est, ut docet tum Flor. in Decr. Eug. ad Arm. tum. Trid. sess. 13. cap. 3. Porro ex vi verborum sub speciebus Panis solum Christi Corpus, & sub speciebus Vini solum Christi Sanguis ponitur,

nitur, quia verbis consecratoriis hæc præcise significantur: at, quia Christi Corpus est unitum cum ejus Sanguine, Anima, & Divinitate, totus Christus sub utraque specie constituitur: ita Trident. loc. cit. Constituitur autem sub speciebus Eucharisticis ad modum Spiritus, ita ut sit totus in toto, & totus in qualibet parte: unde neque divisa hostia Ipse dividitur, nec minus accipit communicans sub minima parte, quam communicans sub magna.

CAPUT III.

De Ministro Eucharistiæ.

IN hoc solum Sacramento, utpote permanenti, & perfecto in ratione Sacramenti ante usum, Minister dispensans, seu conferens illud suscipienti potest esse distinctus à Ministro idem Sacramentum conficiente. Jam vero Minister Eucharistiam conficiens est omnis, & solus Sacerdos: quid vero requiratur in ipso ad validam Eucharistiæ confectionem, constat ex dictis tum in Tract. de Sacramentis in genere, tum cap. præc. Quid requiratur ad licitam confectionem, constabit ex c. seq. ubi agemus de subjecto Eucharistiæ; omnes enim dispositiones, quæ requiruntur in subjecto ad digne suscipiendam Eucharistiam, requiruntur etiam ad digne conficiendam, cum conficiens debeat necessario etiam suscipere Eucharistiam. Hic igitur agemus solum de Ministro dispensante Eucharistiam, & primo inquiremus, quinam sit Minister dispensans Eucharistiam? Secundo, quid requiratur ad licitam Eucharistiæ dispensationem? Tertio quinam teneantur ministrare Eucharistiam?

§. I.

Quinam sit Minister dispensans Eucharistiam?

MINISTER Eucharistiam dispensans ex officio non est, nisi solus Sacerdos: colligitur ex Tridentin. sess. 13. cap. 8. & ex cap. *Pervenit dist. 2. de consecrat.* Atque ita docent D. Th. Sylv. Henr. Con. Suar. Vasq. & alii communissime. Ratio desumitur ex verbis Christi Domini in instituendo hoc Sacramento, *Hoc facite in meam commemorationem*, hoc est, Consecrate, sumite, aliisque distribuite, quæ nemini alteri à Sacerdotibus dicta

dicta fuere. Dixi *Ex officio*: nam ex delegatione non solum Diaconus, sed etiam laicus potest hoc Sacramentum ministrare. Ratio est, quia ex una parte nullibi reperitur interdicta jure Divino concessio talis facultatis, & ex alia parte Trident. *sess. 21. c. 1.* declaravit, in administratione Sacramentorum relictam esse Ecclesiae facultatem mutandi, & alterandi pro varietate temporum, & Fidelium utilitate, salva eorum substantia: atqui ministratio Eucharistiae non pertinet ad Sacramenti substantiam: ergo poterit ab Ecclesia aliis à Sacerdotibus committi. Consonat hæc doctrina cum antiqua Ecclesiae consuetudine, qua solebant laici, teste Justino Martyre apud Pal. hic p. 17. n. 5. Eucharistiam domum deferre, manibus tangere, & ore sumere propter Tyrannorum persecutiones. Ita sustinent apud laudatum, Pal. Suar. Vasq. Laym. Con.

Hanc facultatem dispensandi Eucharistiam delegare potest Diacono non solum summus Pontifex, sed Episcopus, & Presbyter, vel Parochus urgente necessitate: non tamen requiritur necessitas extrema, sed sufficit gravis: ut si nullus adesset Sacerdos, qui commode ministrare Eucharistiam posset. Hinc secundum Quintanad. si absit Parochus, poterit Diaconus etiam sine ejus commissione in casu gravis necessitatis Eucharistiam dispensare, v. g. in solemni, ac principali festo, quo Sacerdos, Confessionibus, Concionibus, &c. est occupatus. Imo absente omni Sacerdote, secundum Bernal. apud Croix n. 480. Diaconus non solum potest, sed etiam debet Viaticum ministrare moribundo, quia in hoc casu recte præsumitur non solum permissio, sed etiam præceptum Episcopi: & idem Diacono permittit Lug. (qui, in hoc fere omnes convenire, ait: idemque in praxi tutum esse, ait Dicast.) si adsit Sacerdos, & ex malitia nolit eam facultatem ipsi concedere. Demum in articulo mortis Diaconus, sicuti potest Viaticum aliis, ita probabiliter, & sibi ipsi ministrare, si absit Sacerdos, sive Parochus, vel injuste deneget administrationem: Suar. Con. Layman. Præpos. Dian. Averf. Franc. Lug. contra Henr. Vasq. & Sa.

Clericis Diacono inferioribus, & Laicis neque à Parocho, neque ab Episcopo, sed solum à summo Pontifice committi potest facultas dispensandi Eucharistiam: ea tamen regulariter loquendo non solet concedi, nec debet. Est communis sententia teste Pal. p. 7. & colligitur

gitur ex c. *Pervenit*, de *Consecr. dist. 2.* ubi dicitur, horrendum, ac detestabile esse, quod absque necessitate, scilicet extrema, per laicum, ac feminam sacram Eucharistiam ægris mitterent. Solum in necessitate extrema, quando scilicet infirmus est in proximo periculo mortis, nec adfit Sacerdos, aut Diaconus, qui possit, aut velit Viaticum ministrare, probabile est, posse laicum, secluso scandalo, alteri, vel etiam sibi Eucharistiam ministrare: Valent. Suar. Con. Laym. Fil. Regin. contra Henr. Vasq. & Sa: sed Amic. limitat solum casum, quo moribundus conscius peccati mortalis non posset aliud Sacramentum suscipere. Id tamen ex Card. Lug. & Bonac. non est facile deducendum in praxim ob contrariam consuetudinem.

Demum probabile est, Sacerdotem posse extra Missam, non solum pro Viatico, aut in necessitate, sed etiam devotionis causa, sibi Eucharistiam ministrare, si alius Sacerdos, & scandalum absit: Suar. Vasq. Homob. Bonac. Dicastil. alique contra Cajet. Filliuc. & Averf. Ratio est, quia nulla lex hoc tempore id prohibet, & Conc. Nic. I. id concedit Diaconis, ut notat Dicastil. v. Croix n. 481.

§. II.

Quid requiratur in Ministro ad licitam Eucharistiæ dispensationem?

AD licitam Eucharistiæ dispensationem non solum requiritur, ut Minister sit liber ab omni censura, & peccato, ut diximus, ubi egimus de Ministro Sacramentorum in genere; sed etiam, ut habeat jurisdictionem, sive ordinariam, sive delegatam in personam, cui Eucharistiam ministrat, ut ibi etiam innuimus quoad omnia Sacramenta, uno excepto Matrimonio, & hic superest suffraganeum explicandum quoad Eucharistiam. Ratio, cur ad licite hoc Sacramentum ministrandum requiratur jurisdictionis, est, quæ militat pro omnibus Sacramentis, quia nimirum proprium est Pastoris pascere oves, quod potissimum fit ministratio Sacramentorum, neque decet alienas oves contra voluntatem proprii Pastoris pascere.

Monent tamen Doctores, in Ministro non habente jurisdictionem ordinariam sufficere pro licita hujus Sacramenti

R. P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III. H menti

menti ministracione facultatem præsumptam, consistentem in eo, quod probabiliter iudicetur, non fore proprio Pastori ingratum, quod ipsius ovibus Eucharistia ministraretur: cum enim in casu iurisdictionis non sit necessaria ad validam, sed solum ad licitam Sacramenti ministracionem, non requiritur, ut de facto præcedat facultatis delegatio, sed sufficit, quod iudicetur prudenter deleganda, si peteretur: Suarez, Azor. Navar, Vasq. apud Pal. p. 18. n. 4. Ex hac præsumpta facultate plures simplices Sacerdotes excusari, ait Pal. cit. ne peccent Eucharistiam ministrando, dum Sacrum faciunt; est enim satis receptum, Fideles petere à Sacerdote celebrante, quicumque sit, ut hostiam parvam ad communicandum apponat, qua consecrata, Sacerdos eam ministrat sine ullo scrupulo, aut examine, an proprius communicantis Parochus consentiat; credit enim, ex recepta consuetudine consensurum, si Communio fiat non ex obligatione, sed ex devotione.

Qui Eucharistiam ministraret absque ulla prorsus iurisdictione, graviter peccaret: Pal. n. 5. Bon. Busemb. &, si sit Sacerdote inferior, irregularitatem incurreret ex Con. At nullam aliam pœnam ipso iure incurreret, nisi esset Religiosus; nam Religiosis Clem. *Religiosi de priv.* imponitur excommunicatio Papæ reservata ipso facto incurrenda, si absque licentia speciali Parochorum, horum subditis Clericis, vel Laicis extremæ Unctionis, vel Eucharistiæ Sacramentum ministrare præsumpserint. A tali excommunicatione excusare ignorantiam etiam crassam, notat ex Præp. Dian. p. 5. t. 3. resol. 51. propter verbum *præsumant*.

Religiosi Mendicantes, & non Mendicantes communicantes in Mendicantium privilegiis, & nominatim Religiosi Societatis Jesu ex Bulla Pauli III. *Cum inter* ann. 1545. & aliorum Pontif. habent privilegium, ut in suis templis per se, vel per alios Sacerdotes illie celebrantes ministrare Eucharistiam possint quibuscunque Christi fidelibus, præterquam in mortis articulo, & festo Paschatis, seu die Resurrectionis Dominicæ: quibus exceptionibus diei Paschalis, & articuli mortis addenda est etiam prohibitio facta alicui à Prælato, ne sumat Communionem, quæ semper præsumitur rationaliter facta: quæ exceptio eruitur ex verbis in cit. Bull. Pauli III. additis privilegio ministrandi Eucharistiam *Sine alienius præiudicio*: nam in casu ministratio Eucharistia

stia cederet in præjudicium Prælati prohibentis : Pal. p. 19. n. 12. Nomine autem diei Resurrectionis Dominicæ probabilius non venit dies ille materialis, sed formalis, hoc est dies, quo adimpletur præceptum annuæ Communionis Paschalis : unde sequitur posse Religiosos privilegiatos eo die Resurrectionis Dominicæ Eucharistiam ministrare omnibus illis, qui præcepto vel jam satisfecerunt, vel intentionem habeat satisfaciendi sequentibus diebus : Suar. Vasq. Layman Fagund. Bonac. Bufemb. Pal. p. 19. n. 3. aliique. Huic exceptioni Communionis in die Paschatis, & in articulo mortis appositæ in dicto privilegio ministrandi Eucharistiam à Paulo III. additur, *Nisi necessitas urgeat*, quæ verba Suarez, t. 4. de Relig. tract. 10. lib. 9. cap. 3. num. 10. putat, intelligenda esse non solum de articulo mortis, quod ab omnibus admittitur, sed etiam de festo Paschatis; ac proinde posse à Religiosis Societatis Jesu in Paschate Communionem præceptam suscipi, si necessitas urgeat : putat autem necessitatem urgere, si proprius Parochus adiri non possit ad sumendam ab eo sacram Communionem, nec possit ab eo peti licentia sumendi ab alio. Item, si ægrotus satisfecerit præcepto de Viatico cum intentione illud adimplendi, possunt Religiosi illi Eucharistiam ministrare, quia id vetitum est Regularibus, solum quando præceptum Communionis obligat : Bufemb. Pal. num. 8. Suarez, Vasq. Fag. Con. Nunquam tamen licet Religiosis sine licentia Episcopi, vel Parochi publice Eucharistiam deferre per plateas, cum id deroget juri Parochorum. Item possunt Eucharistiam ministrare ad adimplendum præceptum Peregrinis, Advenis, & Vagis juxta probabilem sententiam multorum, ut docet Sanch. Matr. l. 3. d. 37. & alii. Demum Regulares privilegiati possunt ministrare Eucharistiam etiam in Paschate, & in articulo mortis suis domesticis, seu famulis, vel familiaribus, & commensalibus, idque vi suorum privilegiorum. Vide dicenda in Tract. de Pœn. d. 2. q. 1. c. 3. §. 2.

Ad licitam Eucharistiæ ministrationem præter statum gratiæ, & jurisdictionem, aut privilegium requiritur. ut Minister reverenter, & ritu Ecclesiæ consueto eam ministret; præstat enim hoc Sacramentum omitti, cum non sit Sacramentum simpliciter necessarium ad salutem, quam positivam irreverentiam in ejus dispensatione committi. Hinc tria inferes :

H 2

I. Eucha-

I. Eucharistiam non esse deferendam ad infirmum sine habitu decenti, hoc est sine stola, & superpelliceo, præcedente lumine, quod non est necessarium ad deferendum Oleum Sanctum, cum non sit Sacramentum; & in eodem habitu sub gravi est ministranda, excepta necessitate Viatici dandi moribundo: Croix ex Quarti cum communi. Hinc, secundum quosdam, si habitus haberi non possit, aut iter faciendum esset, non foret irreverentia, si Sacerdos Eucharistiam in Pyxide cum corporali involutam clam in sinu suo deferret: quod à fortiori licitum videtur in locis hæreticorum, ubi præciso scandalo poterit Minister in necessitate clam eam ministrare sine stola, & superpelliceo; quamvis in nullo casu celebrandum sit sine Vestibus Sacris. Communiter etiam concedunt Doctores, non esse, nisi veniale, absque ulla Veste Sacra movere, vel deferre Eucharistiam ab uno altari ad aliud: item omittere *Confiteor* ante, & lumen in distributione Communionis.

II. In nullo casu licere Sacerdoti in habitu cum Sacramento per publicum currere, etiam si ægrotus aliter moriturus esset sine Eucharistia, quamvis in tali casu liceat valde festinare. Si tamen faciendum sit longum iter, poterit Parochus Eucharistiam deferre in equo mansueto, ita ut non sit periculum lapsus: Quintanad. cui adhærent Barb. & alii, solum si loci consuetudo id permittat.

III. Eucharistiam porrigendam esse pollice, & indice, qui sunt digiti inuncti: probabile tamen esse, posse aliis digitis ministrari, si illi sint impediti chiragra, vel ex alia causa: Tolet. Arriag. Leand. Gob. & alii contra Vasq. Bon. Lug. & Jordan. quia tota manus Sacerdotis est consecrata. Hinc ne pestis quidem tempore licet Eucharistiam porrigere medio aliquo instrumento, & multo minus deponere alicubi, ut ab ipso ægrotato fumatur, sed manu danda est immediate sumentis: Possév. tamen, & non improbabiler juxta Busemb. dicit, posse præciso scandalo, & periculo lapsus in terram, instrumento ad id rite confecto dari: v. Dian. p. 4. t. 4. r. 114. Imo in casu, in quo ægrotus non posset trajicere hostiam, Præp. & Escob. ap. Busemb. amittunt, posse illi dari particulam hostiæ cum vino in cochleari.

Quæres primo, Quid agendum, si in distribuenda Eucharistia Sacra Hostia forte decidat?

Respondeo, Locum, in quem decidit hostia, tegendam esse re aliqua munda, puta linteolo, & postea abluendum:

luendum: ablutio tamen vestis, aut barbæ ordinarie non est præcipienda, quia melius est vitari turbationem, vel offensionem populi, quam talem rubricam servari: Tamb. Pelliz. Gob. & alii contra Pasqual. qui tamen fatetur, tales rubricas de ablutione loci, in quem Sacra Hostia decidit, non obligare sub gravi: secus vero dicendum de speciebus vini, quæ imbibuntur. Addit Pasqual. non opus esse comburi id, in quod Sacer Sanguis decidit, sed satis esse abluï. De his tamen consulendæ sunt Rubricæ Missalis. Quod si Sacra Hostia decidat in sinum, vel intra vestes mulieris, permitti potest, ut ipsamet, vel alia mulier illam extrahat, & reponat in Pyxide; indecens enim esset, & plerumque scandalosum, si Sacerdos extraheret: imo, si ibi commode non posset extrahi, potest mulier in locum remotum, etiam in vicinam domum secedere, ibique eximere, & referre: digiti tamen mulieris erunt abluendi, & ablutio mittenda in Sacram piscinam: Gob. Lohn. Pasqual. apud Croix num. 495.

Quæres secundo, Quid agendum de fragmentis Hostiarum, quæ forte reperiuntur?

Respondeo, Dicta fragmenta residua ex hostiis in propria Missa consecratis posse Sacerdotem sumere post Communionem suam, etsi post eam lapsus sit notabile tempus, v. g. hora integra in distribuenda Communione laicis: communiter Doctores cum Lohn. & aliis ap. Gob. teste Croix n. 496. Idem dicunt, si immediate post Missam ad longum tempus Communionem distribuerit: idem dicunt Gran. & Dian. si sacris vestibus adhuc indutus, hujusmodi fragmenta advertat in Sacristia. Imo Marchinus addit, Sacerdotem posse sumere reliquias etiam alieni Sacrificii, finita Missa post multos communicatos, quod probabile esse, dicit Tambur. quia, cum omnes Sacerdotes sint unius, ejusdemque Christi Domini Ministri, omnes unum specie Sacrificium offerunt, ideoque in tali casu censebitur aliquo modo ex suo Sacrificio sumere. Idem, si Sacerdos adhuc indutus sacris vestibus ferat ad infirmum hostiam ab alio consecratam, poterit reliquias in patena repertas dare infirmo statim post sumptionem hostiæ, ita ut sumptio fragmentorum simul cum sumptione hostiæ censeatur una communio; secus vero, si censeretur bis communicare; & in tali casu posset ipse Sacerdos absumere: ita Castrop. Tamb. Burgh. contra alios. Si vero fragmenta sint ab alio

consecrata, servanda sunt, si id commode fieri possit; at, si non possint decenter asservari, potest ea sumere Sacerdos: melius tamen asservantur, si absit periculum irreverentiæ: Suar. Lug. Gob. Si fragmenta reperiantur extra corporale, & dubites, an sint consecrata, sumenda sunt post utramque speciem, vel etiam post ablu- tionem: Henr. Bon. Gob. At, si inveniatur pars ho- stiaæ circa altare, sumenda est ante primam ablu- tionem: quod si inveniatur extra tempus Missæ, deponenda est in loco decenti sine solemnitate, & in prima Missa ab- sumenda, ut supra: & idem faciendum esse, dicit Quarti, si quis ferat hostiam, vel partem hostiaæ dicens, esse con- secratam; non enim semper credi potest. Notandum denique hic, post sumptam ablu- tionem nunquam esse licitum sumere integram hostiam, vel ab alio, vel à se consecratam, quia usus Ecclesiæ extenditur tantum ad fragmenta, quæ unam moraliter Communionem consti- tuunt cum prius sumptis. Plura in hanc rem vide apud Croix à n. 501.

§. III.

Quinam teneantur ministrare Eucharistiam?

QUILIBET Sacerdos, five sæcularis, five regula- ris tenetur, deficiente Parocho, Eucharistiam morituro ministrare, quia quilibet tenetur ex Charitate, proximo suo extreme indigenti succurrere hoc salutari, & efficacissimo salutis remedio. Parochus vero non solum ex charitate, sed etiam ex justitia hac obligatione astringitur: cui obligationi ut satisfaciat, non solum vocatus debet Eucharistiam ministrare moribundis, sed etiam investigare debet, an in sua Parochia sint infirmi in periculo mortis constituti, quibus Eucharistia ministrari debeat. Colligitur ex *cap. 1. de Celebrat. Missar.* ut notat Laym. apud Pal. p. 20. n. 1.

An autem Parochi teneantur Eucharistiam ministrare etiam cum periculo vitæ propriæ, ut esset tempore pestis? sententia hinc inde: Major, Molfes. ap. Dian. p. 3. t. 4. r. 174. item Gob. Croix, &c. docent, Parochum non teneri tempore pestis ministrare Eucharistiam, quia, cum ejus vita requiratur ad alia Sacramenta magis necessaria etiam aliis conferenda, non videtur esse propter aliquos

aliquos exponenda tanto periculo in administratione Sacramenti utilis quidem, sed minus necessarii: e contra Suarez, Fag. Tolet. Navarr. Sotus, Henr. Villal. Fill. Sylv. Nugn. Marchan. Mancin. Tabien. Sa, Pal. Bufemb. Averf. Card. & alii dicunt, Parochum teneri, per se loquendo, tum quia infecti peste habent jus petendi; tum quia subdito in gravi necessitate spirituali constituto tenetur Parochus etiam cum periculo vitæ propriæ succurrere: moribundus autem est constitutus in gravi necessitate suscipiendi Eucharistiam, etiam si Pœnitentiæ Sacramentum susceperit; nam nihilominus tum maxime infestatur à dæmone; egetque viribus spiritualibus, quas hoc Sacramentum causat, possetque ipsi per accidens causare primam gratiam juxta piam, ac probabilem sententiam recensitam d. l. q. i. c. 4. Fatentur tamen omnes, satis esse, si Parochus per se ministret per alium; imo Dicast. ap. Croix num. 484. refert declarationem S. Congreg. qua prohibetur Parochus per se ministrare infectis, si alius sit, qui ministret, ne reliqui Parochiani fugiant conversationem illius, quem sciunt agere cum infectis peste. Illud nota, si plures in una domo prudenter timeant, se peste inficiendos esse, non idcirco licet Parocho plures hostias ibi relinquere, ut se ipsi communicent, sed debet singulis vicibus Eucharistiam deferre, & propria manu porrigere, ut dictum est §. præced. An liceat Eucharistiam porrigere medio aliquo instrumento, vide ibid.

Ab hac obligatione ministrandi Eucharistiam constitutis in articulo mortis non sunt excipiendi damnati ad mortem ob quodvis crimen, ut olim consuetudinem fuisse in Hispania, & Lusitania, testatur Covarr. apud Pal. n. 5. quæ consuetudo negandi Eucharistiam morte damnatis prætextu reverentiæ debitæ tanto Sacramento, utpote juri, & Christianæ pietati contraria, merito abrogata fuit à Pio V. in speciali Constitut. hac de re edita; & à Philippo II. Hispan. Rege speciali lege approbata ann. 1569. Hinc tenentur Judices tempus opportunum reis concedere ad se disponendos pro susceptione non solum Sacramenti Pœnitentiæ, sed etiam Eucharistiæ; neque ulla consuetudine contraria, quæ abusus potius dicenda est excusari possunt: Henr. Nav. Suarez, Tolet. Laym. Bonac. Sa ap. Pal. loc. cit. Ab hac tamen obligatione concedendi tempus ad Eucharistiam suscipiendam eximuntur Judices, si ex tali con-

cessione timeatur grave damnum Reipublicæ, vel alicui tertio obventurum, quod alia via, quam celeri morte, impediri non posset: quia non tenentur Judices bono spirituali non necessario Rei consulere cum damno Reipublicæ, vel Innocentis. Excipiunt alii probabiliter etiam casum, quo timeatur, reum eo tempore esse violenter eripiendum à Judicum potestate. Illud vero certum existimat Pal. num. 6. quod scilicet, si reo bis concessum sit tempus ad Pœnitentiam, & Communionem opportunum, & ille eorum susceptionem malitiose neglexerit ad differendam mortem, Judices non tenentur aliud opportunum tempus concedere; aliter esset in potestate Rei mortem evadere, & Judicum potestatem eludere.

An autem, & quando possit, aut debeat Minister Eucharistiam ministrare indigno: vide, quæ diximus disp. 1. q. 2. c. 3. ubi etiam habes, An, & qua obligatione teneantur, sive Pastores animarum, sive simplices Sacerdotes Eucharistiam ministrare extra necessitatem, & obligationem Præcepti Paschalis. Hic solum addendum superest, quod semifatuis, & debilem habentibus usum rationis, raro, v. g. in Paschate danda est Eucharistia, dummodo hunc sacrum cibum à profano distinguere norint: Henr. & Possiev. Idem dicendum de mutis, & surdis à nativitate: item obsessis à dæmone dari potest Eucharistia, dummodo sumere eam possint sint irreverentia.

C A P U T IV.

De Subjecto Sacramenti Eucharistiæ.

INQUIRENDUM hic primo, Quinam sint Eucharistiæ susceptores? Secundo, Quænam in susceptore requiratur dispositio ex parte animæ? Tertio, Quænam dispositio ex parte corporis?

§. I.

Quinam sint Eucharistiæ Susceptores?

EX Trident. sess. 13. cap. 8. Ex Catech. Pii V. ubi de hoc Sacramento, & ex D. Thom. communiter recepto tres distinguendi sunt modi suscipiendi Eucharistiam, nimirum Sacramentaliter tantum; Spiritualiter tantum.

tantum, & Sacramentaliter simul, ac spiritualiter. Sacramentaliter tantum accipit peccator, quatenus Sacramentum tantum accipit; at non ejus fructum: quin imo *Judicium sibi manducat*, ut ait Apost. Spiritualiter tantum suscipit justus habens desiderium Sacramenti suscipiendi; &, quamvis hoc modo Sacramentum nullatenus suscipiat, bene tamen dicitur suscipere spiritualiter, quia suscipit effectum Sacramenti, hoc est augmentum gratiæ. Suscipit Sacramentaliter simul, & spiritualiter, qui suscipit Sacramentum, & Sacramenti effectum. His explicatis

Solius hominis viatoris est Eucharistiam aliquo ex dictis modis suscipere: D. Th. ab omnibus receptus. Dixi *Solius hominis viatoris*; nam etiam non baptizatus est capax suscipiendi Eucharistiam spiritualiter, licet non Sacramentaliter. Potest suscipere spiritualiter, quatenus potest habere desiderium, suscepto Baptismo, recipiendi Eucharistiam: quod votum, quia supponitur procedere ab homine grato, meritorium est augmenti gratiæ, & consequenter est spiritualis Sacramenti manducatio: at non est capax suscipiendi Sacramentaliter, quia baptismus est janua cæterorum Sacramentorum, ac proinde non baptizatus nullius Sacramenti, qua talis, est capax. Baptizatus vero quicumque potest Eucharistiam Sacramentaliter suscipere, & quidem sine fructu, imo cum sacrilegio, si sit scienter peccator; cum fructu vero, si sit in gratia, quicumque sit.

Hinc sequitur, infantes baptizatos, & perpetuo amentes, si Eucharistiam sumant, gratiæ augmentum percepturos esse: sic multis relatis docet Suar. & comprobatur antiqua Ecclesiæ consuetudo teste Trid. *sess. 21. c. 4.* dandi Eucharistiam parvulis, quæ certe illis non fuisset concessa, nisi profutura fuisset. Quamvis autem talis Consuetudo abrogata fuerit, id factum est ob reverentiam tanti Sacramenti; non vero, quod putetur tale Sacramentum non prodesse baptizatis carentibus usu rationis, sed justis.

Quæres primo, An infantibus, & perpetuo amentibus concedi possit, aut debeat Eucharistia in articulo mortis?

Respondeo, Certum esse, nullam dare obligationem, aut necessitatem ministrandi Eucharistiam infantibus ante usum rationis, & idem est de perpetuo amentibus) ut docet expresse Trid. loc. supra cit. hanc addens rationem.

Quia per Baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati adeptam jam Filiorum Dei gratiam in illa aetate amittere non possunt. Iisdem vero, sicuti non est necessaria Eucharistia in tali statu, ita nec expedit eam ministrare: D. Th. Vasq. Suar. Henr. Laym. Bon. Amentibus tamen, qui aliquando usum rationis habuerunt, extra motis articulum non debet concedi, bene tamen in articulo mortis; dummodo non constet, incidisse in amentiam in statu peccati mortalis: Suar. Vasq. Laym. Henr. Bonac. Ratio primæ partis est, quia reverentia debita huic Sacramento postulat, ut non concedatur iis, qui nequeunt se ad illius susceptionem actuali devotione disponere. Ratio secundæ est, quia, qui aliquando usum rationis habuit, & christiane vixit, censetur velle, sibi applicari remedia ad salutem necessaria. vel maxime utilia, adeoque censetur velle interpretative Eucharistiam: quæ ratio non militat pro infantibus, & perpetuo amentibus; & idcirco his deneganda, illis vero concedenda in articulo mortis Eucharistia. Semifatis, & debilem usum rationis habentibus, si valeant Divinum hunc cibum à profano distinguere, & reverenter illum exoptulent, non solum in articulo mortis, sed etiam tempore Paschali concedi debet, quia credendum est præcepto Communionis Paschalis obligari: at extra dicta tempora non debet concedi ob reverentiam Sacramenti. Quod, si facta diligentia deprehenduntur non sufficienter distinguere cibum Eucharisticum, computandi sunt inter absolute amentes: Possev. Laym. Bonac. Pal. p. 10. n. 3. Vide, quæ in hanc rem congeessimus in Tr. de Legibus d. q. q. 3. c. 3.

Quæres secundo, An mutis, & surdis à nativitate; item, An energumenis, seu obsessis à dæmone concedi possit, aut debeat Eucharistia?

Respondeo primo, Si ex signis, & nutibus constet, mutos, & surdos à nativitate pollere sufficienti discretionem, qua cibum Eucharisticum valeant distinguere à profano, non solum in mortis articulo, sed etiam in Paschate danda est illis communio. Quod, si prudens Confessarius non qualemcunque discretionem, sed maturam, & perfectam agnoscat in surdo, & muto, sicuti in aliquo se cognovisse testatur Pal. n. 9. aliis etiam solemnioribus Festis concedi poterit Eucharistia. Quod si quis à nativitate sit non solum mutus, & surdus, sed etiam coecus, reputandus est, ut infans, aut perpetuo amentis;

amens; unde nec in mortis articulo danda est illi Eucharistia, cum nullo modo instrui possit, aut rescire de hoc mysterio: Gob. Lohn. Croix n. 663. Pal. loc. cit. Denique, si post usum rationis & aliquam instructionem factus quis esset surdus, mutus, & cæcus, dari illi posset extrema Unctio secundum Lohn. at secundum Croix ib. etiam Eucharistia.

Respondeo secundo, Energumenis, etiamsi propter peccata prius commissa obsideantur à dæmone, concedenda est post pœnitentiam Eucharistia non solum in mortis articulo, & in Paschate, sed etiam crebra, si hoc ad eorum spirituale solatium conducat, dummodo absit periculum irreverentiæ, & sint sui compotes: v. Croix n. 662.

Quæres tertio, An pueris, statim ac usum rationis habuerint, concedi possit, aut debeat Eucharistia?

Respondeo, in articulo mortis concedendam esse, nisi alicubi adsit contraria consuetudo: Suar. Laym. Lug Bernal. Avers. Dicast. Tamb. Lohn. aliique: idemque asserunt Dian. & alii, licet vix septimum ætatis annum expleverint, dummodo instrui possint: quia, cum præceptum Divinum de Viatico nihil committat iudicio Ecclesiæ, aut Confessarii circa ætatem, nec expectari possit in casu plenior usus rationis, non habetur ratio, cur non obligentur statim, si habeant plenam hujus cibi discretionem. Hinc Croix n. 647. ait, audiendos non esse Ochag. Gran. Mærat. Hurt. aliosque, hujusmodi obligationem absolute negantes; nec Vasq. dicentem, absolute non licitum esse dare Viaticum talibus pueris: nec Navarr. dicentem, esse licitum, sed non dari obligationem. In dubio, an puer habeat usum rationis; adhuc posse dari Viaticum, docent Lug. Dian. Dicast. Tamb. Addunt tamen, non esse obligationem dandi, contradicente Bernal. asserente, quod, si potest, debet dari: hinc Schil. absolute negat, illi dandum ob periculum irreverentiæ: sed Croix n. 647. docet, tenendam esse unam ex prioribus sententiis.

Extra mortis articulum S. Antonin. Pal. aliique gravissimi Doctores cum Jo. Sanch. docent, pueros septennium egrossos, aut etiam ante septennium, si discernant hunc cibum spirituales, per se loquendo obligari præcepto Communionis Paschalis, adeoque dandam illis Eucharistiam in Paschate, nisi proprius Sacerdos iudicet, differendam, cui hoc dijudicandum committit Concil. Later. Nomine autem proprii Sacerdotis hic non venit solus Parochus,

rochus, vel qui cum illo habet jurisdictionem, ut vult Dicast. sed quilibet Confessarius: quo nomine utuntur Suar. Bufemb. & alii communissime; & sic habere videtur usus ex tacita approbatione, & consensu Parochorum: hinc Bernal. apud Croix n. 650. dicit, quod, si puer non indigeat Confessione, nec habeat Confessarium, quem interroget, stare possit determinationi parentum, vel eorum, qui ipsi sunt loco Parentum. Quamvis autem Escob. citans Nav. & Cordub. dicant, usum habere, ut pueri non obligentur ante pubertatem, hoc est masculi ante 14., femina ante 12. ætatis annum; alii tamen melius communiter dicunt, attendendum esse non ad annos præcise, sed ad iudicii maturitatem, & spem reverentiæ debitæ ab illis exhibendæ; additque Lug. tempus hujus obligationis pueris non incipere in indivisibili, sed potius esse multos, quibus licite dari posset hoc anno Communio, & tamen licite etiam differri post unum, aut etiam alterum annum, ut melius se disponant, & cum majori reverentia ad eam accedant. Obligantur tamen parentes, vel parentum vicesgerentes curare, ut interrogentur proprii Sacerdotes, seu Confessarii: Quomodo autem sit instruendus, qui prima vice vult communicare: v. apud Croix n. 651.

Quæres ultimo, Quid sentiendum sit de Communionem quotidiana?

Respondeo: Doctores circa hoc punctum divisos esse: Jo. Sanch. d. 22. adducit plures quam 40. qui absolute dissuadebant quotidianam Communionem; econtra alios etiam plurimos refert, qui eam absolute suadebant, quibus ipse adhæret, etiam si aliquis sine speciali devotione, & ex sola consuetudine accederet, idemque tenuerunt multi Hispani apud Carden. in 1. crisi d. 66. c. 1. Dicendum tamen est cum S. Th. Suar. Bosc. aliisque nunc communiter, quod, quamvis unicuique expediat quotidiana communio, si adsit status gratiæ, actualis devotio, & debita reverentia, quia tamen difficile est, ut omnes; maxime seculares, prædictas condiciones quotidie habeant; idcirco quotidiana Communio, absolute loquendo, non expedit omnibus indifferenter, sed hoc relinquendum est iudicio prudentis Confessarii: absolute autem omnibus adultis convenit valde frequens, quæ omnia declaravit S. Congr. approbante Innoc. XI. in Decreto, quod Croix refert per extensum n. 665. Ex quo Decreto infert ipse, posse Confessarios devotis personis

sonis determinare dies, quibus communicent; sed peccatis sæpius, aut etiam quotidie, negari non posse Communionem, si dignæ judicentur; neque deterrendas esse à quotidiana Communionem, hinc, si tales personæ interrogent, quoties communicare possunt, negari non debet, quod possint quotidie,posito quod judicentur dignæ: si tamen non judicentur dispositæ ad toties communicandum, dissimulari, vel etiam negari potest Communio, quia Papa hoc totum relinquit iudicio Parochi, vel Confessarii. Quando vero commendatur frequens usus Communionis, intelligi debet sola digna Communio, ut per se patet, quia sola digna Communio utilis est ad salutem. Hinc Inn. XI. recte damnavit hanc Propos. 56. *Frequens Confessio, & Communio etiam in his, qui diligenter vivunt, est nota prædestinationis: quæ propositio est maxime scandalosa, ut notat Croix n. 671. nam, qui gentiliter vivunt, hoc est, qui vivunt habitualiter in depravatis, & corruptis moribus, sacrilege communicant; si enim per Confessiones bonas se semper disponerent ad dignam Communionem, certo non pergerent vivere gentiliter.*

§. II.

Quenam requiratur in Suscipiente Eucharistiam dispositio ex parte Animæ?

IN adulto, aut in eo, qui aliquando usum rationis habuit, requiritur (non ad validam, ut in cæteris Sacramentis consistentibus in usu, sed ad Sacramentalem, seu fructuosam, & non mere materialem Eucharistiæ susceptionem) intentio suscipiendi hoc Sacramentum saltem habitualis. vel interpretativa juxta dicta disp. 1. q. 3. c. 1.

Requiritur præterea immunitas non solum ab omni censure impediens usum passivum Sacramentorum, sed etiam ab omni peccato mortali, quod postremum de fide esse, docent Suar. Lug. Dicant. contra hæreticos: quare peccat mortaliter peccato sacrilegii, per se loquendo, qui Eucharistiam in mortali suscipit: Dixi *Per se loquendo*; nam per accidens in aliquo casu excusari potest à peccato: ut, si sumat Eucharistiam, ne turpius profanetur ab hæreticis: Croix n. 514. vel si accumbens scamno communicantium non possit sine infamia, aut scandalo

rece-

recedere, & tunc advertat. se esse in peccato mortali; neque possit, quantumvis conetur, elicere actum contritionis, sive ob perturbationem animi, sive ob brevitate[m] temporis: Hurt. Vasq. Ochag. Dian. Leand. Lug. quia moralis necessitas tollit irreverentiam: quamvis Dicast. putet, casum esse moraliter impossibilem; quia, si revera conetur, quantum in se est, elicere contritionem, gratia Dei non deerit: at, si casus contingeret, videtur consentire.

Peccatum veniale nullo modo impedit effectum saltem primarium Eucharistiæ: nam, si sit habituale, ipsa communione, quæ est virtualis quædam ejusdem detestatio, remittitur, ut dictum est cap. I. hujus quæst., si vero sit actuale, commissum nempe in ipsa communione, neque impedit augmentum gratiæ, ut docent D. Thom. Victor. Suar. Vasq. Laym. Pal. & alii relati à Suar. Ratio est, quia veniale peccatum nec gratiæ, nec ejus augmento opponitur; hinc Trid. *sess.* 13. *cap.* 7. ad dignam Eucharistiæ susceptionem solum requirit, ut, qui conscius est peccati mortalis, se per confessionem, & contritionem probet, nulla facta mentione peccati venialis. At, quamvis non impediatur augmentum gratiæ, quod est primarius effectus hujus Sacramenti, impedit effectus secundarios, impedit enim ipsius remissionem, quæ per Sacramentum deberet fieri ex opere operato: impedit præterea tum devotionem, & charitatis fervorem, tum specialem suavitatem, & dulcedinem, quam experiri solent devoti communicantes; tum denique plura auxilia gratiæ ad præcavenda peccata, quæ alioqui concederentur. Demum quodcumque peccatum veniale afficiens ipsum actum communionis juxta probabiliorē, & communiorē sententiam cum D. August. Suar. Laym. Tann. Rhod. Lug. Averf. Gob. contra Ledesm. Vasq. Sa, Jo. Sanch. Leand. fert novam malitiam venialem specialis irreverentiæ, ut esset communicare cum actu vanæ gloriæ, cum voluntaria distractione, cum actuali complacentia de peccato veniali, quia ratione Eucharistiæ redundat specialis indecentia in illud veniale: v. Croix n. 522.

Ex dictis sequitur: Primo ad effectum principalem hujus Sacramenti non requiri necessario Fidem actualem hujus mysterii: Suar. contra Pal. & alios, modo adit aliquis actus Fidei implicitus, & in confuso; ut ex Lugo dictum est d. r. q. 3. c. 2. nec actualem devotionem

ex

ex ibid dictis. Secundo, Nec requiri amorem Dei purissimum, quod certum est contra aliquos Lovanienſes, docentes, hominem ante Communionem debere eſſe liberum ab omni malo habitu, & habere amorem ſine ulla mixtione amoris imperfecti: hinc merito Alex. VIII. damnavit hanc Propoſ. 23. *Similiter arcendi ſunt à Sacra Communione, quibus nondum ineſt amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers.* Tertio, Nec prærequiri impletionem pœnitentiæ injunctæ à Confefſario, ut etiam voluerunt aliqui Lovanienſes: hinc idem Alex. VIII. damnavit hanc 22. Prop. *Sacrilegii ſunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint.* Id etiam conſtat à poſteriori; nam, ſi ante Communionem deberet eſſe ſatisfactum pro peccatis, male Eccleſia prærequireret Communionem ad lucrandas indulgentias loco ſatisfactionis pro peccatis. Demum, qui ſibi conſcius eſt culpæ gravis, ſi velit Euchariſtiam, tenetur ex præcepto, & quidem probabilius divino, obligante ſub gravi, præmittere Confefſionem Sacramentalem. At, quomodo obliget tum hoc præceptum, tum aliud conſitendi quamprimum à Trid. impoſitum Sacerdotibus celebrantibus ex neceſſitate in peccato mortali, non præmiſſa ſacramentali Confefſione, ſed ſolum Contritione, vide in Tract. ſequ. de Pœnitentia diſp. 1. quæſt. 1. cap. 4. & 5. quod & ſupra citavimus.

§. III.

Quæ requiratur in Suſcipiente Euchariſtiam diſpoſitio ex parte Corporis?

NULLA Corporis macula per ſe impedit ſuſceptionem Euchariſtiæ, quam ſolum poteſt impedire per accidens, nimirum propter effectus ſecutos. Hinc non impedit pollutio involuntaria, imo nec voluntaria per pœnitentiam expiata, niſi reliquerit in animo magnam perturbationem, & alienationem à rebus ſpiritualibus, vel turpem recordationem, aut delectationem: quo caſu, uti & ſemper poſt culpabilem, melius eſt Communionem differre, niſi adſit juſta aliqua cauſa non differendi, puta magna Feſtivitas, regula Ordinis, vel ſi illa animi perturbatione, aut turpis recordatio putetur
exci-

excitata à dæmone ad impediendam frequentem Communionem: Sanch. *de Matr.* l. 9. d. 13. Bonac. Lug.

Hinc inferes, quid dicendum de copula conjugali. Porro copula conjugalis ob solam voluptatem exercita, quamvis simpliciter Communionem non impediat, cum non sit peccatum mortale; illam tamen impedit ex quadam decentia, & honestate: quare Consilii est Communionem in aliam diem differre, nisi adsit justa, & specialis causa communicandi eo die: si vero ex legitimo fine, & debita moderatione exerceatur, nullatenus impedit Communionem, quia est actus virtutis, ut habetur in cap. *Vir cum Uxore* 33. q. 4. Ita Pal. p. 13. n. 3. Monent tamen Doctores, conveniens esse, ut Conjuges nocte Communioni proxima, imo tota die, qua sumpta est Eucharistia, à debiti petitione abstineant ob reverentiam Sacramenti. A debiti vero serio, & constanter petiti redditione abstinendum non est, quia esset contra justitiam; imo; si quis conjugatus frequenter communicet, e. g. Dominicis, & festivis diebus, neque simplici Petitioni resistere debet: ne sit molestus conjugi, & occasionem præbeat frequentem Communionem interdicendi: si vero singulis tantum mensibus communicet, petentem debitum decet commonere, & rogare. ut à petitione desistat ob reverentiam Sacramenti suscipiendi; quod, si ægre ferat, petenti annuendum, & tunc reddens majori, qua poterit, devotione se ad Sacram Communionem disponet, sperans divinam gratiam sibi non defuturam ob opus conforme legi naturali, & divinæ.

Ob reverentiam huic Sacramento debitam stomachus communicantis debet esse ita dispositus, ut valeat retinere, & absumere species Eucharisticas. Hinc, qui continuo removet, vel qui cibos sumptos plane immutatos statim emittit per secessum, tenetur abstinere à Communionem; aliter gravem irreverentiam committeret: Sanch. Quarti, Gob. Si tamen bona fide sic communicet, & statim revomat, recipit effectum Sacramenti, nempe gratiam: sed in tali casu species purgari debent, & summi; quod, si purgari non possint, vel nemo sit, qui velit sumere, nefas esset comburere, sed immittendæ sunt in aquam, donec dissolvantur, & tunc aqua injicienda est in Sacram piscinam: Gob. apud Croix n. 553. In dubio, an sumens sit revomiturus, communis, & probabilius Doctores dicunt, non esse licitum communicare, contradicentibus Sann. & Gob. qui cum Suar. addunt,

addunt, in his, & similibus casibus licitum esse dare ægro minimam particulam, etiam in liquore, vel jusculo, licet hoc moraliter sit prius descensurum in stomachum. Non tenetur tamen abstinere à Communionem, qui non identidem, sed aliquando, etiam si pluries per diem, revomit, quia non est morale periculum, ut eo præcise tempore vomitus eveniat, nec prudenter timentur, quæ raro eveniunt: Gob. Idem dic de continuo tussiente, quia, quamvis materia, quam ejicit, plerumque ascendat è pectore; non est tamen periculum ejiciendi Sacras species, si ad stomachum descenderint, quia alia est via, per quam cibus ad stomachum descendit, alia per quam sputa tussiendo excutiuntur: hæc est vena aspera, seu via respirationis ad pulmones, illa est œsophagus. Decens tamen est ad vitandum scandalum, ut sputum saltem intra spatium quinque *Pater, & Ave*, si nimirum abundet post susceptam Communionem, srophiole excipiatur: Pal. Gob. Si quis post Communionem incidat in morbum, aut cum Communionem sumperit venenum, ita ut Medicus judicet, necesse esse, ut statim evomat, sumere potest potionem ad evomendum, *Ne Calix vitæ vertatur in mortem*, ut ait D. Th. q. 83. art. 6. ad 7. Species autem rejectæ à sordibus separatæ erunt detinendæ, aut injiciendæ in aquam, donec consumantur; & quod superest, in sacram piscinam conjiciendum, ut modo dictum est. Secluso scandalo, licitum est gladiato sumere Communionem: Gob.; imo hoc decere Equites S. Joannis, & similes, ait Jo. Sanch., quia gladius pro Fide gestandus est eorum insigne.

Præcipuum verò requisitum ex parte corporis est jejunium naturale, consistens in omnimoda abstinentia à cibo, & potu vel minimo servanda ex gravi obligatione rigorosi Præcepti Ecclesiastici non admittentis parvitatem materiæ à media nocte præcedente Communionem usque ad tempus Communionis: est certum, ex Conciliis, & communi sensu Doctorum. Ut autem aliquid frangat jejunium naturale, hæc tria requiruntur: Primo, Ut habeat rationem cibi, & potus: Secundo, Ut sumatur per modum comestionis, vel potationis, Tertio, Ut sumatur ab extrinseco.

Primo, *Ut habeat rationem cibi, & potus*. Id dicitur habere rationem cibi, vel potus, quod à stomacho alterari, & saltem ex parte digeri potest, & sic in substantiam hominis aliquo modo converti: Lug. Castr. Dian.

R. P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III. I Di-

Dicast. Gob. Jo. Sanch. Tamb. contra Nugn. Laym. & Bernal. putantes, non requiri ad rationem cibi, & potus, ut sit digestibile; sed priorem sententiam tenendam esse, ait Croix n. 561. Hinc fumus, nebula, aut quid simile cum aere in stomachum trajectum non frangit jejunium naturale, quia hæc non sunt comestibilia, aut potabilia, sed potius respirabilia. Dixi, *Saltem ex parte digeri potest*, quia, ut aliquid sit cibus, vel potus aptus frangere jejunium naturale, non est necesse, ut secundum se totum digeri possit, sed sufficit, si aliquam partem habeat digestibilem, ut probabiliter habent uniones redacti in pulverem, & aurum potabile; & idcirco frangunt ex Tamb. jejunium. Idem probabilius dicendum cum Croix n. 562. contra Dicast. de terra, quam prægnantes aliquando solent appetere, & comedere, necnon de creta, quam nonnullæ solent comedere, ut albescant, quia in his sunt saltem aliquæ partes admixtæ alterabiles à stomacho. Idem pariter dicendum cum Tambur. contra Dian. & Bernal de cera, quæ fere semper habet aliquid mellis admixtum, de charta, & filo ex lino, quæ ex herbis fiunt, de scæno, & palea, quæ in substantia sua sunt herbæ, ac demum de quocunque pulvere medicinali, etiam ex ossibus, & lapidibus contrito, quia se habet tanquam cibus medicinalis corporis. Econtra vero probabile saltem est, capillos, officula fructuum, plumbum, ferrum, solida frustra auri, fila ex serico, vel lana, &c. non frangere jejunium, quia nec sunt alterabilia in stomacho, nec digestibilia: Ledesm. Lug. Jo. Sanch. Dian. Tamb. contra Pal. & alios. Putat Vasq. venenum non frangere jejunium, utpote non ordinatum ad cibum humanum: sed probabilius est frangere jejunium ex eo, quod in eo contineantur partes, quæ natura sunt cibus humanus.

Secundo, *Ut sumatur per modum comestionis, aut potationis*. Sumitur aliquid per modum comestionis, vel potationis, quando id, quod trajicitur in stomachum, & modus trajiciendi sufficit, ut quis in morali æstimatione censeatur comedisse, vel bibisse: Tann. Leand. Gob. Unde, si musca involaret in fauces, & statim seipsam in stomachum inferret, non violaretur jejunium: contra vero violaretur jejunium, si involaret in fauces, & homo postmodum deglutiret: Lug. Rhod. Tamb. Similiter, quidquid se habet per modum salivæ, etiam si ab extrinseco salivæ advenerit, non frangit jejunium; quia

quia non censetur in stomachum immitti per modum comestionis, aut potationis; dicitur autem se habere per modum salivæ, quod, cum sit minimum, & à saliva inseparabile, quamvis nondum in illam conversum, simul cum saliva deglutitur: ut si quis os abluat, & ejus aquæ stillula salivæ immixta postea deglutiatur: Suar. Vasq. Gran. Dicast. Gob. & quamvis D. Th. Lug. Fill. Bonac. Hurtad. requirant, ut id, quod trajicitur, præter directam intentionem trajiciatur, Henr. tamen Con. Tabien. & alii apud Avers. dicunt, non obstare, etiamsi advertenter trajiciantur parvæ reliquæ ciborum cœnæ præcedentis dentibus inhærentes, etiam data opera deglutitæ non violant jejunium, juxta Suar. Pal. Gob. Leand., vel quia faciunt unum moraliter cum cœna præcedenti, adeoque moraliter censentur sumptæ heri, non hodie; vel quia sumuntur per modum salivæ, non per modum comestionis: at, si sint ita magnæ, ut sensibilibus percipiantur in lingua, deberent exspui, & si deglutirentur, frangerent jejunium naturale, quia tales ciborum reliquæ nec censentur trajici in stomachum per modum salivæ, nec censentur moraliter sumptæ die præcedenti.

Quamvis Lez; & alii apud Dian. p. 5. t. 13. r. 1. putent, tabacum tam masticatum, quam fumatum violare jejunium, etiamsi nihil sensibile trajiciatur in stomachum; Dian. tamen, & Berg. citantes plures alios negant, per tabacum frangi jejunium; dummodo nihil deglutatur de folio; si autem aliquid fumi deglutiretur, adhuc negant Burgh. & March. contra Rayn. frangi jejunium, quia fumus descendit in stomachum per modum aeris, non cibi, aut potus, & veluti per actionem respirationis, non per modum comestionis, aut potationis; vide Croix n. 569. Item tabacum sumptum per nares, sive in pulvere. sive in fumo; imo secundum aliquos etiam guttulæ humoris per nares attractæ neque violant jejunium, quia hæc omnia non sunt comestio, aut potatio, sed vel trajectio salivæ, vel respiratio, vel attractio, seu afflatio narium: Bourdev. Avers. apud Croix n. 570. Idem odor qualiscunque neque violat jejunium, quia neque est cibi, aut potus, neque sumitur per comestionem, aut potationem, sed veluti per respirationem, Tamb. Gob. Pign. contra De Leon. Demum, si quis in flumen lapsus invitus sumat aquam, aut si alicui in somno, vel violenter ingeratur cibus in fauces, Bosco dicit.

dicit, non frangi jejunium: sed merito contradicunt Iug. Vasq. Tamb. Dian. Averf. quia vitaliter fumitur per comestionem, vel potationem.

Tertio, *Ut sumatur ab extrinseco.* Hinc est, quod saliva non frangit jejunium naturale: item, si sanguis è gingiva, aut sanies è pustula oris fluens deglutatur, non frangit jejunium: D. Tho. Suar. Tann. apud Croix n. 565. Idem sentit Quarti citans D. Th. Suar. Lug. & alios, etiamsi sanguis in os defluens ex industria deglutatur, etiam animo se nutriendi, quia talis intentio non potest dare sanguini illi rationem cibi ab extrinseco: quod, si sanguis fugeretur è vulnere digiti, violaretur jejunium, quia, cum fumeretur à membro corporis tam distante, censeretur sumi ab extrinseco: Lugo, Tamb. Idem est, si mulier è suis mammillis fugeret lac; vel si aliquis in os admitteret. & deglutiret, quod ex oculis, vel naribus defluit.

Post sumptam Eucharistiam nullum est præceptum jejunandi, sed potest statim absque peccato sumi cibus, aut potus: Pal. p. 13. n. 10. Verum, quamvis præceptum non sit servare jejunium; est tamen maxime conveniens, quousque species Eucharisticæ credantur absumptæ, ne cibus ille coelestis terrenis hisce, & materialibus misceatur: consumuntur autem species in laico intra dimidium quadrantis, in Sacerdote intra quadrantem: ita Lugo ex judicio Medicorum à se consuëtorum: Tamb. autem ex Jo. Sanch. notat, citius à valido, quam à debili stomacho: regulariter tamen ab omnibus intra horam absumi, & affert casum infirmi, qui post mediam horam species integras ejecit.

A generali doctrina de jejunio præmittendo sumptioni Eucharistiæ excipiendi sunt aliqui casus. I. est de constituto in periculo mortis. Dicitur autem constitutus in periculo mortis omnis ille, cui invito mors imminet, sive ratione morbi, vulneris, aut veneni, sive ex sententia Judicis. Dixi *Invito*; nam, si ipse se conjiciat in mortem, non censetur esse in illius periculo: Croix num. 585. Igitur constitutus in periculo mortis, si non possit commode jejunus sumere Viaticum, potest sumere non jejunus, ut certum est ex communi praxi Ecclesiæ; & probabiliter etiam pluries durante eodem periculo, seu eadem infirmitate, ut aliis relatis docent Suar. Bon. Pal. n. 13. contra Vasq. dicentem, constitutum in periculo mortis non posse, nisi semel, communicare.

non jejunum. Quod, si quæras, quot dies intercedere debeant inter Communionem, & Communionem? Respondent Suar. Fag. Bon. & alii communiter sex, aut octo dies. At Pal. n. 14. dicit, vel sentiendum esse cum Vasq. vel affirmandum non solum post sex, vel octo dies posse aliquem iterum Viaticum sumere, sed etiam singulis diebus. Emm. Sa. sine ulla limitatione dicit, posse infirmum sæpius in eodem morbo communicare non jejunum, quoties expetere videtur. Laym. existimat, si aliquis assuetus est frequenter communicare, vel sacrificare, & propter devotionem, ac desiderium difficile abstineat, posse ipsi permitti, ut altero statim die iterum Eucharistiamumat non jejunus, dummodo mortis periculum instare videatur. Addit, posse Sacerdotem constitutum in periculo mortis sacrificare non jejunum ad se communicandum; secus vero ad dandum Viaticum alteri, ut communiter docent Doctores contra Major,

II. Sumitur ex reverentia debita Sacramento; si enim prudens timor adsit alicujus gravis irreverentiæ, vel quia Sacramentum in manus Infidelium esset deveniturum, vel quia ab animali, vel igne esset absumendum, vel ab aliquo alio irreverenter tractandum, poterit non solum Sacerdos sed eo deficiente etiam laicus non jejunus sibi propriis manibus ministrare; quia, quod in reverentiam Sacramenti statutum est, non debet in ejusdem irreverentiam cedere: ita ex omnium sententia docent Vasq. Suar. Con. Fag. Laym.

III. Sumitur ex perfectione Sacrificii, & potest tripliciter evenire; Primo, Si Sacerdos per inadvertentiam aquam loco vini in calice posuerit, & sumpserit: Secundo, si post consecrationem recordetur, se non esse jejunum: Tertio, Si facta consecratione sacrificium absolvere nequeat, vel quia moritur, vel quia sensibus destituitur: in his casibus poterit, vel idem, vel alius Sacerdos (si idem non possit) etiam non jejunus communicare, ne Sacrificium relinquatur imperfectum, quia lex conficiendi Sacrificium perfectum prævalet legi de præmittendo jejunio: ita iidem præcit. Doctores. Huc reducitur casus de reliquiis hostiarum consecratarum, quæ reperiuntur in corporali, vel in patena, quæ, utpote pertinentes ad idem Sacrificium, sumi possunt à Sacerdote etiam post ablutionem, de quo tamen satis dictum est cap. præced. §. 2.

IV. Receptus ab omnibus est, cum violatur jejunium simul cum Communionem accepta, ut contingit, cum in feria 6. hebdomadæ sanctæ Sacramentum mixtum vino sumitur. maxime si pars vini descendat ad stomachum ante Sacramentum: item, cum sacra hostia hæret labro calicis, nec facile digitis inde dimoveri potest, & sumi; tunc enim expedit vinum infundere, & simul cum illo sumere: item, cum palato hæret, poterit imo expedit semel, & iterum abluitionem sumere: quia in his casibus violatio jejunii moraliter non censetur Communionem præcedere: Suar. Vasq. Laym. Bon. Pal.

V. Si gravis nota Sacerdoti immineat, nisi celebret non jejunus, ut si incepta Missa recordetur, se non esse jejunum, prævideatque, quod, si desistat manifestando causam, Populus non acquiescet; quin imo grave quid sit suspicaturus, & scandalum sumpturus: tunc poterit Missam proficere, & non jejunus celebrare, quia præcepta Ecclesiæ non obligant cum tanto rigore: ita præcitat. Doctores.

Quæres, Quid agendum in dubio, an sis jejunus?

Respondeo, Si dubium sit positivum, ita ut probabiliter iudices, te esse jejunum, potes communicare. Si autem dubium sit mere negativum, distinguendum est; si casus ita se habeat, ut scias, te post mediam noctem fuisse jejunum, & dubites, an postea aliquid deglutiveris, quamvis Sanch. Fag. Rodr. Villal. Bon. Oviedo, Pal. Schild. dicant, non esse licitum communicare; at tamen Card. Lug. Laym. Caram. Vasq. Bard. Dicast. Carden. Boss. Rayn. Dian. probabiliter docent oppositum: quia quisquis habet jus communicandi, nisi sciat, se prohiberi à Communionem. Præterea non tenetur positive probare, se esse idoneum, sed satis est, si sciat, se fuisse idoneum, & non sciat, se amplius non esse: vide Croix n. 576. Si vero scias, te aliquid cibi, vel potus sumplisse, nescias tamen, utrum ante, an post mediam noctem sumpsisses? Jo. Sanch. Dicast. Gøbat. Bosco adhuc putant, posse communicare, & idem, ut probabile, sustinent Med. Laym. Rhod. Tambur. Burg. Card. Dian. quia adhuc videtur esse in possessione jus communicandi, usquedum probetur supervenisse impedimentum. Alii vero cum D. Th. Sanch. Boss. Lugo, Bernal. dicunt, etiam non posse

posse communicare, quia; cum sciat, se comedisse, videtur esse in possessione præceptum prohibens, non libertas: v. Croix n. 577.

Notandum hic, mediam noctem computandam esse à primo pulsu horologii; unde, si quis aliquid cibi, vel potus tunc haberet in ore, probabilius ex Con. & Jo. Sanch. contra Gob. tenetur ejicere, si vellet manere jejunos pro die sequenti; sicuti deberet etiam ejicere saccharum, vel quid simile ori impositum ante mediam noctem, juxta communem, & certam sententiam, ut ait Croix num. 580. contra Amic. & alios. Notandum præterea, quod, ubi sunt plura horologia non certo aberrantia, quæque ordinarie bene diriguntur, quivis potest se accommodari posteriori horologio, ita, ut possit communicare die sequenti, etiam si comederit, aut biberit aliquid post mediam noctem secundum unum horologium, sed nondum secundum alia.

Quæ hic dicta sunt de volente communicare, intelligenda sunt etiam de volente sacrificare.

CAPUT V.

De Obligatione suscipiendi Eucharistiam.

EUCHARISTIAM in re susceptam non esse necessariam necessitate mediæ ad salutem, tenent Catholici omnes cum Arcudio l. 3. c. 42. & sequ. contra Armenos apud Suar. d. 40. sect. 2. qui dixerunt, realem Eucharistiæ susceptionem esse omnibus necessarium medium salutis; & idcirco cum baptismo dabant etiam Eucharistiam infantibus. Porro Eucharistiam non esse parvulis ad salutem necessariam, definitum est à Trid. *sess. 21. can. 4.* *Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ Communionem, anathema sit:* neque esse necessariam adultis, constat ex communi sensu omnium Fidelium, qui censent, salvari illum adultum, qui credens statim post baptismum moritur, juxta illud Marc. ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit:* quod etiam definit Trid. *sess. 5. in Decr. de Peccat. Origin.* dicens, simpliciter omnem baptizatum esse hæredem Dei, cohæredem autem Christi, ita ut nihil prorsus eum ab ingressu Cœli removeretur. Non solum autem in re suscepta, sed neque in

voto est necessaria necessitate mediæ ad salutem: D. Th. q. 65. a. 4. Arcud. Bern. Dicast., quamvis Gon. videatur contradicere, cui, quoad adultos, in aliquo sensu favet Averf. Ratio autem nostra est, quia Eucharistia non causat aliquid necessarium ad salutem, quod suppleri possit à voto Eucharistiæ ipsa deficiente; tale enim votum neque causat primam gratiam, neque perseverantiam in ipsa; imo, cum Eucharistia, per se loquendo, non causet primam gratiam: multo minus votum Eucharistiæ erit necessarium ad primam gratiam, & ad salutem: Croix, Eucharistia igitur necessaria est solum necessitate præcepti, & quidem tam Divini, quam Ecclesiastici, ut mox videbimus: quare Primo agemus de obligatione sumendi Eucharistiam ex præcepto Divino: Secundo, De obligatione ex præcepto Ecclesiastico.

§. I.

*De obligatione sumendi Eucharistiam ex
Præcepto Divino.*

DARI Præceptum Divinum sub gravi obligans de sumenda Eucharistia, est communis sententia Doctorum post D. Th. q. 80. a. II. contra Alenf. D. Bonav. Gabr. & alios putantes, dari tantum Præceptum Ecclesiasticum. Probatur ex illis verbis Christi Domini Jo. 6. v. 54. *Nisi manducaveritis Carnem Filii Hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* Neque obstat, quod, si hæc verba continerent præceptum de sumenda Eucharistia, jam deberet dici, præcepta à Christo Domino sumptio Eucharistiæ sub utraque specie, quod falsum esse, certo constat ex Trid. sess. 21. can. 1. *Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes, & singulos Christi fideles utramque speciem Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, anathema sit:* & can. 2. definiente, quod Ecclesia id juste prohibuerit. Non, inquam, obstat, quia illa verba *Nisi, &c.* intelligenda sunt hoc modo, *Si nec manducaveritis &c.; nec biberitis, &c.;* sicuti intelligenda sunt verba illa Petri Act. 3. *Argentum, & aurum non est mihi, hoc est, neque argentum, neque aurum est mihi:* Pal. 14. n. 2. Adde, Trident. sess. 13. cap. 2. dicere, quod Christus sumptione Eucharistiæ quæ

quæ ad omnes spectat, præceperit, coli sui memoriam. Neque item obstat, quod Ecclesia possit in pœnam delicti privare aliquem Viatico, prohibendo suis Ministris illius administrationem, ut aliquando privasse, testatur Lug.; nam non inde inferitur, Viaticum non esse de jure divino: sicuti ex eo, quod Judex in pœnam delicti privare possit reum cibo corporali, non recte inferitur, cibum corporalem non esse de jure naturæ. Neque in hoc casu Ecclesia dispensat in præcepto divino; sed solum subducit materiam, prohibendo suis Ministris administrationem. Porro Ecclesia jam à tempore Innocent. III. mandavit, ne ulli pœnitenti Viaticum denegetur, ut etiam habetur in cap. *Quod in te, de Pœn. & Remiss.*

Quæres primo, Quinam obligentur hoc præcepto divino, soline baptizati, an etiam infideles?

Respondeo, Duplicem hac in re esse sententiam. Altera valde probabiliter docet, solos baptizatos obligari hoc præcepto, sicuti soli baptizati obligantur præcepto divino Confessionis Sacramentalis: ita Sanchez, Pal. aliique ap. Croix n. 594. Altera fortasse probabilius docet, hoc præcepto obligari etiam infideles: quia præcepta divina sine ulla limitatione prolata obligant omnes, qui sunt eorum capaces: sed infideles adulti sunt hujus præcepti capaces; de facto enim Christus etiam ad non baptizatos Capharnaitas dixit, *Nisi manducaveritis, &c.* ergo etiam infideles obligantur, non quidem ad sumendam Eucharistiam ante, sed post baptismum: non secus ac tenentur quidem baptizati, qui sunt in peccato mortali, communicare, sed post sacramentalem confessionem. Dispar est ratio pro Sacramento Pœnitentiæ, quamvis præceptum de suscipiendo hoc Sacramento sit etiam divinum; nam materia hujus Sacramenti sunt peccata commissa post baptismum; nil ergo mirum, quod non obliget, nisi solos baptizatos, cum non possit obligare infideles, ut baptismum suscipiant, & peccent ad hoc, ut Sacramentum Pœnitentiæ suscipiant; sicuti nec absolute obligat Fideles, sed solum, si post baptismum lapsi sint in aliquod peccatum.

Quæres secundo, Quandonam obligentur Fideles hoc præcepto?

Respondeo primo, Hoc præcepto obligari in articulo mortis: ita communiter Doctores contra Victor. & alios docentes, ad satisfaciendum huic præcepto divino satis

esse, si semel in vita quis communicet. Ratio est, quia pro eo tempore dicendum est potissimum obligare aliquod præceptum, quo ejus executio est maxime necessaria ad finem præcepti assequendum: atqui in articulo mortis est maxime homini necessarium conjungere se cum Christo, & contra hostes se munire; Diabolus enim sciens, quia modicum tempus habet, infidias parat, & pro viribus eum dejicere procurat: ergo in mortis articulo dicendum est maxime urgere præceptum Communionis. Eruiatur id etiam non obscure tum ex Trident. *sess. 13. cap. 6.* dicente, antiquissimum esse morem communicandi in articulo mortis; cum autem hujus consuetudinis initium ignoretur, dicendum, quod originem duxerit ab Apostolis ex præcepto divino; tum ex Concil. Nicæn. I. dicente, antiquam legem observandam esse, ne quis sine necessario Viatico decedat: non potest autem Viaticum dici necessarium, nisi ex præcepto divino, cum Ecclesia non præcipiat, nisi Communionem Paschalem. Hoc præceptum non obligat, nisi ad semel sumendum Viaticum, durante eodem periculo mortis, utut duret ad plures dies: quare, qui post Viaticum sumptum peccaret mortaliter, non teneretur denuo communicare: Regin. Fill. Lug. & alii. Item, qui non communicavit in periculo mortis, non tenetur postea supplere, quia est obligatio affixa tali tempori: Bonac. Henr. Regin. & alii.

Respondeo secundo, Præceptum Divinum de sumenda Eucharistia non solum obligare in articulo mortis, sed etiam interdum in vita: ita etiam communiter Doctores cum Suarez, Valent. Pal. & aliis. At, qua frequentia teneamur vi præcepti divini communicare in vita, non constat. Suarez cum aliis putat, hoc præceptum obligare singulis trienniis, vel quadrienniis: alii, quoties urget aliqua gravis necessitas: alii juxta opportunitatem, ita ut teneantur sæpius communicare, qui sunt in Civitate fidelium, quam alii; & qui sunt magis instructi, & qui sunt minus impediti, ut diximus de actibus virtutum theologalium, qui, nullo præfixo tempore præcipiuntur præcepto divino: alii demum cum Lugo dicunt, Christum nullo determinato tempore direxisse præceptum ad Ecclesiam, ut hæc tempora determinaret. Illud certum videtur, quod, cum Ecclesia præcipiat Communionem semel in anno, non sit contra præceptum divinum Communionem ad annum differre.

Ex

Ex dictis sequitur primo, Per Communionem etiam bona fide susceptam ante baptismum non satisfieri huic præcepto. Ratio est, quia talis sumptio Eucharistiæ non est sacramentalis, nec apta in tali subjecto significare gratiam, quia non baptizatus, etiamsi supponatur per Contritionem perfectam justificatus, non est capax percipiendi fructum ex hoc Sacramento: Vasquez, Lugo, Croix n. 596.

Sequitur secundo, Falsum esse, quod, qui communicavit in Paschate, non teneatur in articulo mortis iterum communicare. Ratio est, quia præcepto communicandi in articulo mortis non satisfit per Communionem extra articulum mortis; quod patet ex Ecclesiæ consuetudine, & sensu communi Fidelium. At, quid dicendum de Communionem sumpta non longe ante periculum mortis, puta octo, vel sex diebus, eritne sufficiens, ut præcepto divino de sumendo Viatico in articulo mortis censearis satisfecisse, ita ut non tenearis iterum communicare in eodem articulo? Suar. Laym. Bonac. ap. Pal. n. 6. affirmant, quia illa Communio facta paulo ante periculum mortis censetur moraliter facta in ipso mortis periculo; quod enim parum distat, nihil distare videtur. Negat Vasq. quia illa Communio fuit voluntaria, non ex obligatione; ergo per eam non potest satisfieri Communioni obligatorix, seu quæ sit præcepta. Hinc Hurtad. & alii apud Dian. p. 5. t. 5. r. 197. putant, quod, si aliquis mane extra mortis periculum communicaverit, si vespere incidat in mortis periculum, teneatur iterum communicare, quando Communio non potest commode ad sequentem diem differri: quod tamen Suarez, Lugo, Bernal, & alii negant, tum quia prohibetur duplex Communio eodem die; tum quia Communio facta mane censetur moraliter facta in articulo mortis.

Sequitur tertio, Obligationem hujus Præcepti cessare, si servari non possit juxta ritum, saltem principaliorum, & veluti substantialem à Christo Domino, vel ab Ecclesia præscriptum circa administrationem, & consecutionem Eucharistiæ. Hinc primo, Non licet in necessitate consecrare hostiam pro Viatico extra Sacrificium: Secundo. Nec Sacerdoti latino in simili necessitate consecrare in fermentato: in defectu tamen latini Sacerdotis possit hic moribundus sumere à Sacerdote græco Viaticum consecratum in fermentato: Tambur. apud Croix num. 610. Laicus vero latinus in Græcia peregrinus,

&

& ubi nullum sit latinum templum, potest communicare, quo ritu vult, & idem dic de Græco in his locis: si vero adsit templum proprii ritus, Fagnan. putat, non posse, nisi suo ritu communicare; sed Tambur. affert multa exempla Græcorum communicantium in azymo, etiam ubi sunt Tempia sui ritus: Tertio, Quamvis Nugn. & Ochag. dicant posse, & debere sumi Viaticum sub specie Vini, si non possit sumi sub specie Panis, quia præceptum divinum prævalet humano; idque probabile esse dicant Dian. & Escob; probabilius tamen est oppositum, non quod præceptum humanum prævaleat Divinõ, sed quia divinum non obligat, quando servari non potest cum debita reverentia, & ritibus principalibus, ac quasi substantialibus cæremoniis præscriptis ab Ecclesia: Suarez, Fagn. Dian. Amic. Lug. Tambur. Dicast. Platel. Recte tamen consulit Tambur. in casu, quo infirmus non posset deglutire species panis, sed tantum vini, melius esse dare minimam particulam specierum panis cum vino, vel jusculo, quam species vini: Quarto, Sacerdoti non jejuno non licet celebrare ad Viaticum consecrandum pro moribundo: D. Anton. Suarez, Azor. aliique plurimi cum Dicast. contra Major Zanard. Zamb. Tambur. & alios, quorum sententiam probabilem vocant Suarez, Fill. Lug. Dicast. uti & Layman. saltem si infirmus non possit suscipere aliud Sacramentum: Quinto, Neque licet, ut alibi etiam notavimus, ad dandum Viaticum alteri celebrare sine Sacris Vestibus, vel sine Altari: Lug. & Dicast. contra Jord. dicentem probabiliter id id licere: Sexto, Si infirmus sumere non possit Eucharistiam, non licet eam ad ipsum deferre pro consolatione, ut adoret, vel osculetur, quia id prohibuit S. Pius V. teste Lugo in *Respons. Moral.* l. i. d. ii.

§. II.

De obligatione sumendi Eucharistiam ex Præcepto Ecclesiastico.

PRÆCEPTUM Ecclesiasticum circa Eucharistiam obligat omnes Christi fideles ad eam sumendam in Paschate. Tulit hoc præceptum Innocent. III. in Concil. Lateranens. & refertur in Cap. *Omnis utriusque sexus* 12. de pœnit. Et remiss. his verbis, *Omnis utriusque sexus Fidelis;*

Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenit, confiteatur, &c. suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejusmodi susceptione duxerit abstinendum; alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura. Idem declarando statuit Trident. sess. 13. can. 9. *Si quis negaverit, omnes, & singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate ad communicandum juxta præceptum S. Matris Ecclesiæ, Anathema sit.* His positis

I. Hoc præceptum obligat omnes Baptizatos, qui ad annos discretionis jam pervenerunt, à quibus neque Papa excludendus est, ut communiter docent Doctores. Hinc excommunicati, aut alia censura simili innodati tenentur procurare absolutionem à censura, ut huic præcepto satisficiant. Verum quidem est, quod ex præcepto Missæ audiendæ die festo non tenentur specialiter ad procurandam absolutionem à censura: at dispar est ratio de præcepto Missæ, ac de præcepto Communionis Paschalis; nam illud est mere Ecclesiasticum; hoc vero, quamvis sit Ecclesiasticum quoad circumstantiam Paschatis, quoad substantiam tamen est Divinum, ut patet ex §. præced. & præterea est certe præceptum magis utile, & majoris momenti: Suarez, Con. Lug. Dicast. Tambur, qui tamen addit, non ideo aliquem obligari ad petendam dimissionem è carcere, vel ad procurandam extraordinarie valetudinem, quia hæc non sunt mala spiritalia. Utrum hoc præcepto, ut Ecclesiasticum est, obligentur etiam hæretici, non satis constat. Bernal probabiliter ap. Croix n. 626. negat; alii tamen communiter, & probabilius affirmant. De Pueris, Mutis, Surdis, Semifatis, v. dicta cap. præc. §. 1.

II. Nomine Paschatis hic non venit solus dies Resurrectionis Dominicæ, sed octo dies antecedentes, & octo subsequentes, hoc est à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis inclusive, idque ex praxi, & consuetudine totius Ecclesiæ, & ex declaratione Eug. IV. teste Navar. apud Pal. p. 15. n. 2. & Croix n. 641. Ex consuetudine, vel ex privilegio extenditur hoc tempus aliquibus in locis per totam Quadragesimam, & alicubi extenditur etiam ultra ex Indulto. Si quis autem intra tempus præscriptum non communicaverit, vel ex legitimo impedimento, vel consilio Confessarii, ut insinuatur

in præc. c. *Omnis utriusque sexus*, vel etiam ex culpa, tenetur deinde, cum primum commode poterit, Eucharistiam sumere: quod certum est, quando communio omititur, seu potius differtur ob justam causam ex consilio Confessarii: de aliis vero casibus saltem est probabilius, cum probabilius sit, tempus præfixum ad hujus præcepti observantiam non esse præfixum ad terminandam, sed ad urgendam obligationem, & hanc sententiam tenent D. Thom. Navar. Suarez, Vasq. Con. Azor. Sylv. Fag. Laym. Hurt. Lug. Bernal. Averf. Illf. Plat. eamque in praxi sequendam esse, ait Croix n. 644. Similiter, qui prævidet, se tempore Paschali impediendum esse, tenetur prævenire: Vasq. Sylv. Fag. contra Suarez, & Azor. Verum alii probabilius dicunt hoc præceptum esse virtualiter duplex, alterum principale communicandi semel in anno, alterum communicandi circa Pascha, quod etiam obligat sub gravi. Hinc inferunt, quod, qui jam eo anno communicasset, vel esset communicaturus, non teneretur prævenire: qui vero nec antea communicasset, nec habiturus esset occasionem communicandi, teneretur prævenire ad satisfaciendum præcepto Communionis annuæ. Qui vero sic prævenisset, & postea impedimentum evanesceret, teneretur rursus communicare secundum Laym. & Lug. quia non satisfecit præcepto obliganti ad communionem tempore Paschali: negant tamen Dian. & Suarez. Terminum hujus anni alii aliter statuunt: Suarez, Layman. alique communiter dicunt numerandum esse à Paschate ad Pascha.

III. Si minus jure scripto, saltem usu, & consuetudine, additis etiam declarationibus S. Congregat. quas refert Croix, certum est, dari obligationem gravem communicandi in propria Parochia, ita ut secus non satisfiat præcepto, etiamsi Eucharistia sumatur in Ecclesia Cathedrali, nisi Episcopus, vel Parochus licentiam dederit: v. Croix n. 631, & 633. Satisfacit tamen, qui communicat alibi ex manibus Parochi, vel cum ejus consensu extra Parochiam; potest enim id concedere (& si sint plures simul Parochi in eadem Ecclesia, possunt singuli dare licentiam alibi communicandi) dummodo certior reddatur de communione peracta. Notat hic Tambur. non facile præsumendam esse hanc licentiam, nec sufficere, quod certo daturus esset, si peteretur; nam, si peteretur, jam hoc ipso recognosceretur ut Pastor, & ipse confuse recognosceret Ovem suam; si vero

non

non petatur, manet rationabiliter invitus, cum habeat jus, ut aliquo modo recognoscatur, & vicissim recognoscatur oves suas. Porro Sacerdos satisfacit huic præcepto, ubicunque Missam celebret; si tamen non celebret, tenetur communicare in Parochia: quia, quando agit ut laicus, tenetur servare præceptum ut laicus: Lugo, Gob. apud Croix n. 639. Demum vagi, & peregrini satisfaciunt communicando, ubi volunt: Sanch. Pal. &c. & certum esse dicit Tamb. Neque obstat, quod Eug. IV. concedat Peregrinis, ut in ordine ad Communionem Paschalem censeri possint in Parochiis acquisivisse, quasi incolatum. Nam hoc fuit in gratiam peregrinorum, qui proinde non tenentur uti isto privilegio.

IV. Ut huic præcepto satisfiat, Communio non solum debet esse non sacrilega formaliter, quod certum est ex Prop. 55. damnata ab Innocent. IX. *Præcepto Communionis annuæ satisfiat per sacrilegam Domini manducationem*; sed probabilius debet etiam esse non materialiter sacrilega, qualis esset, si quis communicaret invincibiliter oblitus, se esse in peccato mortali: quamvis enim in rigore hic non communicaret sacrilege, quia communicando non peccaret; non tamen communicaret cum fructu, quod fieri vult Christus, & Ecclesia; præcipiunt enim Communionem, quæ sit cibus, & vita animæ, ad quod requiritur, ut sit digna: Croix n. 628. & 629. Qui tamen communicavit sacrilege in sua Parochia, quamvis teneatur iterum communicare; non tamen tenetur communicare in sua Parochia: quia hoc præceptum est divisibile, communicandi digne pro bono animæ, & communicandi in Parochia ad recognoscendum proprium Pastorem: hæc autem pars est impleta: non secus ac si præceptum sit, ut Horæ devote recitentur in choro, recitans indevote in choro satisfacit eas repetendo domi, quia jam implevit illam partem præcepti, quæ erat de assistentia in choro: Croix n. 620.

V. Quamvis Dicast. sentiat, per proprium Sacerdotem (cujus judicio remittitur, an quandoque differenda sit communio Paschalis) intelligendum esse Parochum, vel qui cum illo habet ordinariam jurisdictionem; attamen Suarez, Busemb. & alii communissime loco proprii Sacerdotis utuntur nomine Confessarii, & sic videtur habere usus ex tacito consensu, & approbatione Parochorum.

QUÆSTIO

QUÆSTIO II.

De Eucharistia, quatenus est Sacrificium.

AGEMUS hic I. De quidditate, & natura Sacrificii Missæ: II. De participatione fructus: III. De loco: IV. De tempore. V. De reliquis requisitis ad Sacrificium, ac de ritu in eo servando. De stipendio Missæ nihil hic, cum abunde de eo dictum sit in Tract. de Restit. d. 2. q. 1. c. 2. §. 3.

CAPUT I.

De Quidditate, & Natura Sacrificii Missæ.

NOMINE Missæ venit totus ille ritus, quem Sacerdos peragit ad altare ab initio usque post summptionem Corporis, & Sanguinis Christi. Si ejus etymologiam spectemus, derivatur juxta Bellar. à verbo *Mitto*, tum quia per illam mittuntur ad Deum nostræ oblationes, ac preces; tum etiam quia post illam populus dimittitur; juxta alios à voce hebraica *Missah*, id est oblatio voluntaria.

Sacrificium sumitur vel late & improprie, vel stricte, & proprie. Late sumptum est quidquid Deo offertur ad cultum, ut orationes, laudes, adorationes, cæterique actus virtutum. Stricte sumptum est, ut diximus etiam de Sacrificio in genere t. 2. d. 1. q. 2. c. 1. §. 2. *Cæremonia sacra legitime instituta, per quam res sensibilis destruitur in protestationem supremi dominii Dei, & nostra in eum subjectionis*, Dicitur *Cæremonia sacra*, quia debet esse actio externa ponenda ad cultum Dei. Dicitur *Legitime instituta*, hoc est à Deo, vel Republica, quæ, per se loquendo, etiam habet potestatem instituendi hujusmodi signa communia, & in hoc differt à martyrio, quod non est institutum publica auctoritate ad Dei cultum. Dicitur *Per quam res sensibilis destruitur*, destructione scilicet, sive physica, ut quando occiditur animal, sive morali, ut quando effunditur vinum, & redditur inutile ad alios usus humanos. Dicitur *In protestationem supremi Dominii &c.* hic enim est finis intrinsecus, & essentialis Sacrificii, in quo potissimum differt à Sacramento, quod directe, & per se ordinatur ad sanctificationem populi,

Mul-

Multipliciter dividitur Sacrificium: Primo *Ratione materiæ* in Cruentum, in quo funditur sanguis, & in In-cruentum, in quo sanguis non effunditur: Præterea aliud dicitur Victima, seu Hostia, in quo aliquid animatum offertur, ut bos; aliud Immolatio, in quod aliquid in-animatum, sed solidum, ut panis; aliud Libamem, in quo aliquid inanimatum, sed liquidum offertur, ut vinum: sæpe tamen hæ voces confunduntur, & una ponitur pro alia. Secundo *Ratione formæ* aliud dicitur Holocaustum; in quo id, quod offertur, totum consumitur per ignem; aliud Hostia pro peccato, in quo id, quod offertur, partim per ignem, partim per Sacerdotem consumitur; aliud Hostia Pacifica, in quo id, quod offertur, consumitur partim per ignem, partim per Sacerdotem, partim per eum, qui donat. Tertio *Ratione finis* aliud est Latreuticum, quod unice in cultum Dei, aliud Eucharisticum, quod specialiter in gratiarum actionem; aliud Propitiatorium, quod ad remissionem culpæ, vel pœnæ; aliud Impetratorium, quod ad aliquid aliud à Deo impetrandum offertur. Pro Latreutico est Holocaustum, pro Eucharistico, & Impetratorio Hostia pacifica, pro Propitiatorio Hostia pro peccato: v. D. Th. 1. 2. q. 103. artic. 3. Bell. de Miss. l. 1. c. 4.

Sicuti in Cruce oblatum fuit verum & proprie dictum Sacrificium, in quo Christus fuit Sacerdos, & idem ipse Victima, secundum illud ad Ephes. 5. v. 2. *Tradidit semetipsum pro nobis in oblationem, & hostiam:* altare autem Crux, idque ex institutione Dei, qui eum constituerat Sacerdotem maximum, ut sanguine suo interveniret pro nostra salute, & esset propitiatio pro peccatis nostris, ut dicitur 1. Joan. 2. v. 2. ita & in Missa offertur verum, & proprie dictum Sacrificium. Est de Fide contra hæreticos apud Bellarm. c. 5. & habetur in multis Conciliis ap. Pasq. q. 22. n. 2. ac demum aperte in Trid. *sess. 22. can. 1. Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum, & proprium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, Anathema sit.* Non est igitur Missa Sacrificium tantummodo in sensu lato, & improprio, in quo sensu admittunt hæretici in Missa rationem Sacrificii; sed est Sacrificium in sensu proprio, & stricto. Quare S. Pius V. Gregor. XIII. & Urb. VIII. damnarunt hanc 45. Baji Prop. *Sacrificium Missæ non alia ra-*
R. P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III. K tione

tione est Sacrificium, quam generali illa, qua omne opus, quod fit, ut sancta societate homo Deo inhaereat. Id ipsum eruitur ex unanimi consensu Ecclesiae Græcæ, & Latinæ, omniumque PP. qui in utraque floruerunt, quosque copiosissime adducit Petavius *De Incarn.* l. 22. c. 13. & 14. Ratio autem est, quia in Missa habetur cæremonia sacra à Deo instituta, per quam res sensibilis moraliter destruitur in protestationem supremi Dei dominii in res creatas, & summæ subjectionis nostræ ad ipsum: nam consecratio est cæremonia sacra instituta à Christo in Eucharistiæ institutione: deinde per consecrationem fit destructio rei sensibilis sufficiens ad Sacrificium, ut infra explicabitur; demum tota hæc actio fit in dictam protestationem; hæc enim est intentio Ecclesiae, & institutio Christi, qui etiam ad eum finem consecravit, nosque idem facere iussit dicens: *Hoc facite*, & quod se ipsum in Cœna hoc modo Patri æterno obtulerit, docent apertissime SS. Iren. Cypr. Ambr. Gregor. Nil. Chrysol. Aug. ap. Bellarm. c. 12. in fine.

Quamvis ex natura rei posset Respublica Ecclesiastica auctoritate propria instituere sacrificia; tamen Christus Dominus interdixit, ne aliud institueret distinctum ab eo, quod ipse instituit, ut constat ex sensu omnium Doctorum, & perpetua Ecclesiae traditione. Id autem fuit maxime congruum, quia Sacrificium Missæ continet in se omnem dignitatem, est sufficiens ad omnes fines, & effectus, complet differentiam omnium hostiarum, & est tanquam omnium perfectio, & absolutio.

Essentiam Sacrificii consistere in sola consecratione, diximus tom. 1. tr. 2. d. 1. q. 2. c. 1. §. 2. cum D. Th. Suarez, & aliis, ex eo, quod in sola consecratione habeatur sufficiens destructio, seu immutatio rei principalis sacrificatæ, nempe Christi per mortem moralem, & mysticam repræsentativam mortis cruentæ in Cruce, cum ex vi verborum fiat sensibilis separatio Corporis à Sanguine. Hinc non salvari diximus *ibid.*, sacrificium in consecratione unius tantum speciei, nec Papam posse in hoc dispensare: neque ob mortis periculum relinqui posse consecrationem alterius speciei, cum sit intrinsece malum: ita Pal. contra Gob.

In hoc Sacrificio res, quæ principaliter offertur, est Christus Dominus: quia tamen non offertur ut existens in propria specie, sed quatenus fit sensibilis per accidentia panis, & vini, ideo species panis, & vini integrant
materiam

materiam hujus Sacrificii: non ita substantia panis, & vini, quæ in hoc Sacrificio annihilatur: licet hæc annihilatio non intendatur per se; sed unice ut dispositio, & requisitum ad hoc Sacrificio, prout est institutum à Christo Domino. Porro quinam sit principalis offerens, quinam minus principalis, seu delegatus, vide dicta tom. 1. §. supra cit. quæsito 3.

Ut probe teneatur Natura hujus Sacrificii, examinandi sunt effectus, & valor ejusdem, seu virtus causativa talium effectuum. Effectus sunt sequentes. Primo Dei complacentia tam ratione rei oblatæ, quam principalis offerentis, qui est Homo Deus exhibens per hoc Sacrificio Augustissimæ Trinitati perfectissimum Latriæ cultum. Secundo, Exsolatio gratiarum pro beneficiis Dei; hoc enim Sacrificio, in quantum Eucharisticum, est recognitio Divinorum beneficiorum cum oblatione reciproca hujus Hostiæ pro exsolvendo debito gratiarum. Tertio, Remissio peccatorum quoad culpam, & pœnam: nam esse Sacrificio propitiatorium, est de Fide ex Trident. *sess. 22. can. 3. Si quis dixerit, Missæ Sacrificio tantum esse laudis, &c.; non autem propitiatorium, &c.; Anathema sit.* Quoniam vero idem Trident. *cap. 2. cit. sess.* inde videtur probare, hoc Sacrificio esse propitiatorium, quia *Per ipsum fit, ut gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit;* satis declarat, hanc remissionem peccatorum quoad culpam non causari à Sacrificio immediate, sed tantum mediate, hoc est mediis gratiis actualibus, seu auxiliis supernaturalibus operativis Contritionis, vel aliorum actuum Supernaturalium, quibus peccata deleantur; quæ gratiæ actuales, & auxilia immediate causantur, seu exiguntur à Sacrificio: Ita D. Thom. Suarez, & alii 50. Doctores, quos refert, & sequitur Pasq. q. 63. Imo probabilius est, etiam venialia ita mediate remitti quoad culpam, cum Concilia, & PP. eodem modo loquantur de utrisque. Econtra pœnas remittit immediate, ut docent communiter omnes Catholici cum Pasq. q. 72. apud Croix num. 45. per hoc nempe, quod applicet satisfactiones Christi, ut manifeste eruitur ex Trident. *cit. cap. 1. & 2.* Quarto, Impetratio omnis generis beneficiorum etiam temporalium, quatenus ad Salutem conducunt: v. Croix à n. 43.

Jam vero Sacrificio Missæ respectu duorum priorum

effectuum, qui sunt Dei complacentia, & solutio gratiarum, causat in actu secundo simpliciter infinite, quia Deus actu infinite sibi complacet in hoc Sacrificio, & in eo pro gratis redditur bonum actu infinitum: at respectu duorum posteriorum, qui sunt remissio peccatorum, & impetratio donorum causat actu simpliciter finite, quia nec Christus ordinavit, nec Deus acceptat, nisi ad remissiones, & impetrationes actu finitas: & inde etiam est, quod in Ecclesia multiplicentur Sacrificia in ordine ad eundem finem, & plura plus obtineant, quam unum; & plus profit uni, pro quo solo offertur, quam prodesset singulis, si pro multis offerretur, ut notant Suarez, Barbof. Rayn. Gob. Card. Bonac. Dicast. Henao, & Croix num. 47. Cum hoc tamen fiat optime, quod Sacrificium Missæ dici possit secundum se valoris simpliciter infiniti in actu secundo, ut docent Cajet. Sylv. Suarez, Vasquez, & alii 27. auctores gravissimi, quos refert & sequitur Vasq. q. 117. contra Bell. Lug. Pallav. & alios, quorum plerique in re non dissentiant; sed tantum volunt, non esse actu infinitum quoad vim proxime causativam, vel quoad effectum in actu secundo causatum, quod jam admisimus. Ratio nostræ assertionis est, quia valorem actionis constituit dignitas operantis: in casu autem dignitas personæ operantis actionem sacrificativam est simpliciter infinita, cum sit Christus Homo Deus; ob quam rationem docent omnes, Sacrificium in cruce, & ultima cœna oblatum, quod cum Sacrificio Missæ in substantia est idem, fuisse valoris infiniti: dicendum igitur consequenter est, quod Sacrificium Missæ sit etiam valoris simpliciter infiniti, quatenus in actu secundo habet secundum se proportionem, & condignitatem ad omne bonum possibile obtinendum, non prout ponitur nomine Ecclesiæ, Sacerdotis, vel adstantium, sed prout ponitur nomine, & in persona Christi: Croix n. 42.

C A P U T II.

De Participatione Fructus Sacrificii.

Duo hic prænotanda: Primum est, Sacerdotem in Missa quadrupliciter considerari posse: Primo, Prout gerit personam Christi principaliter consecrantis, & sacrificantis, cujus est veluti instrumentum: Secundo, Prout est publicus Minister Ecclesiæ, cujus nomine etiam

etiam offert Deo hoc Sacrificium, & in cuius persona orat illa, quæ in Missa recitantur: Tertio, Prout est privata persona etiam nomine suo offerens, & orans: Quarto, Prout offert, & orat nomine illorum, qui ad hoc Sacrificium specialiter concurrunt, aut cooperantur, ut sunt Ministri, Adstantes, & qui Missam petierunt. Alterum est, Triplicem distinguendum esse fructum Sacrificii, Specialem nempe, seu Substantialem, Generalissimum, & Specialissimum. Primus est, qui respondet Sacrificio secundum se, prout est opus positum à Sacerdote, ut operante in persona Christi. Secundus est, qui respondet Sacrificio, prout est opus positum à Sacerdote, ut operante in nomine, vel personæ Ecclesiæ. Tertius est, qui respondet Sacrificio, prout est opus positum à Sacerdote operante, ut persona privata, vel prout est positum ab illis, qui specialiter ad illud cooperantur, vel concurrunt. Singuli hi fructus sunt satisfactorii saltem late, quatenus sunt applicativi satisfactionum Christi, vel impetrativi remissionum, & aliorum beneficiorum, ut notant communiter Doctores teste Croix n. 41. quamvis aliqui cum Pasq. dissentiant, putantes, non omnes esse satisfactorios. His præmissis, videndum nunc est, Quid requiratur, tum ex parte Ministri, seu Sacerdotis tum ex parte subjecti ad participandos prædictos fructus Sacrificii?

Sacrificium ut in aliis à Sacrificante causet effectus suos ex opere operato, non requiritur in Ministro status gratiæ; Tridentin. enim *sess. 22. c. 1.* dicit. *Hoc Sacrificium nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari posse*, hoc est, impediri virtutem causandi, ut tenet recepta omnium sententia, teste Croix num. 49. Hinc D. Thom. 3. p. q. 82. art. 6. ap. eundem cum aliis docet, Missam mali Sacerdotis ex opere operato æque prodesse, ac boni; etiam si ille esset hæreticus, excommunicatus, degradatus, quia hic fructus specialis sequitur ad substantiam Sacrificii, prout est actio Christi principaliter offerentis: quod secundum Gabr. Sot. & alios valet etiam de Missa, prout est actio Ecclesiæ, quæ semper est sancta, & grata Deo: hinc etiam communissime contra Cajet. Sot. Henr. & alios docent Doctores, non augeri in aliis fructum ex opere operato ex eo, quod Sacrificans habeat majorem gratiam, vel devotionem, quia vis operis operati non est ex actione, prout est Ministri, sed prout est Christi.

K 3

Ut

Ut Sacrificium specialiter profit potius uni, quam alteri, adeoque ad participandum fructum specialem Sacrificii, requiritur applicatio Sacrificantis: ita D. Thom. cum aliis communissime, quia, cum sit institutum pro bono communi, & secundum se sit indifferens, ut specialiter profit huic, vel illi, debet determinari per Sacerdotem: hinc, si Sacerdos nulli applicet fructum, remanebit in thesauro Ecclesiæ, dispensandus à Pontifice per indulgentias à se concedendas. Ait Trull., quod Sacerdos nulli applicans sacrificium censeatur velle applicare sibi per illam generalem voluntatem, qua quisque semper intendit prodesse sibi, quantum potest. Talis autem applicatio non debet necessario esse actualis, sed sufficit habitualis, hoc est semel habita, & non retractata. Non valet tamen applicatio post Sacrificium, sed debet applicari, vel ante Sacrificium, vel saltem in consecratione Calicis. Ut vero Fidelibus causet fructum generalissimum, & cofferentibus specialissimum, nulla requiritur applicatio Sacerdotis: quia hoc ipso, quod ponitur juxta præscriptum Ecclesiæ, & ex cooperatione cofferentium, tanquam opus publicum, & commune, est de se operativum illorum effectuum. Hinc, si Sacerdos sit in gratia, quamvis fructum specialem nulli applicet, sacrificium tamen illi proderit, quia obtinebit fructum specialissimum, qui forte major est, quam specialis, quem fructum specialissimum potest Sacerdos totum sibi retinere, etiam si accepto stipendio pro aliis celebret, aut si velit partem ejus applicare alteri, ut probabiliter tenent Cajet. & alii 20. cum Aversa contra Suarez, Layman. Pasq. & probabiliter etiam cofferentes possunt applicare alteri: quia tamen id non est certum, merito damnata est ab Alex. Prop. 8. asserens posse distinctum stipendium accipi pro applicatione hujus fructus specialissimi, ut notavimus tom. 2. tr. 4. d. 2. q. 1. c. 2. §. 3.

Ex parte vero subjecti ad participandum fructum Sacrificii requiritur capacitas. Quinam autem sint capaces, intelliges ex sequentibus. Primo, soli Viatores sunt proprie capaces horum fructuum, quia Sacrificium est institutum pro Ecclesia militante: animæ tamen purgantes adhuc censentur esse quasi in via, cum nondum sint in Patria: hinc pro iis rite offeruntur Sacrificia, ut definit Trident. *sess. 22. can. 3.* nec in iis prærequiritur tanquam dispositio, ut in vita habuerint curam satisfaciendi

ciendi pro culpis propriis, vel juvandi alios defunctos, ut volunt aliqui, sed sine ullo fundamento: Croix n. 59. Secundo, Ut quis sit capax eorundem fructuum quasi de condigno, debet esse baptizatus, & in statu gratiæ, quia, cum hoc Sacrificium sit pro Ecclesia institutum, videtur pro illis tantum, qui sunt de Ecclesia, ex justitia exigere illius fructum: quod, si sint in mortali, sunt Dei inimici: ergo eorum indignitas obstabit, ne Deus teneatur ex justitia illis concedere ejusdem fructus: Croix n. 56. ex Pasq. contra Dur. qui ad satisfaciendum pro pœna debita peccato remissio non requirit statum gratiæ; imo probabilius est, quod Sacrificium oblatum pro constituto in mortali, non reviviscat ad causandos suos effectus, si ille remittatur in gratia; nullum enim habetur hujusmodi reviviscentiæ solidum fundamentum: Croix n. 56. At, si Sacrificium offeratur pro conversione Infidelis, vel Peccatoris, aut etiam pro remissione pœnæ debitæ culpæ, quam homo infidelis jam deleverit per contritionem, poterit Sacrificium prodesse de congruo: Croix cit. ex Dicast. Item ad remissionem pœnæ requiritur indigentia actualis, hoc est, ille, pro quo offertur Sacrificium, debet esse actu obnoxius debito alicujus pœnæ. Poterit autem remitti pœna, etiamsi reus nihil sciat de Sacrificio pro se oblato, quia relaxatio debiti est actus solius Creditoris: si tamen positive nollet sibi remitti, Suarez, ap. Croix num. 58. contra Lugo, Averf. Pasq. probabilius dicit, non remittendum, quia cum invito ordinarie non debeat fieri gratia, credibile est, Deum pro dispositione exigere consensum saltem interpretativum. Demum fructus Sacrificii tam satisfactorius, quam impetratorius est major, vel minor pro majori vel minori dispensatione illius, pro quo offertur: D. Thom. Dicast. Averf. & alii plurimi contra Suarez, Valentin. Fill. Fag.; videtur enim idem dicendum esse de Sacrificio, ac communiter dicitur de Sacramentis, quæ pro meliori dispositione subjecti majorem effectum habent.

Ex dictis colliges, pro quibus offerri, & valide, & licite possit Sacrificium; valide enim, ita ut aliquo modo de se prodesse possit, offertur pro ipso Sacerdote (qui probabilius, uti & cæteri coofferentes, non participat ullum fructum Sacrificii ex opere operato præcise ut offerens est: vide Croix num. 51.) pro assistentibus, pro Ecclesia tota, etiam pro absentibus. & nihil scientibus de tali oblatione: item directe pro infantibus,

& peccatoribus; quibus tamen non prodest in ratione satisfactorii: in infantibus enim jam baptizatis nihil est, pro quo satisfiat, cum baptismus remittat culpam, & poenam; in peccatoribus vero ante culpam non dimittitur poena juxta communem cum D. Thom. sententiam: item pro Catechumenis, Henr. Bellarm. Suarez, alique 16. graves Auctores cum Dicast. & Pasq. qui idem docent de infidelibus cum Arriag. & Burg. contra Vasq. Hurt. Gran. Pal. contradicentes quoad utrosque; & probatur ex Innocent. III. cap. *Apostolicam 2. de Presbyt. non bapt.* expresse volente pro Catechumeno, hoc est non baptizato, sed credente in Christum, offerri Deo preces, & hostias, citatque pro hoc auctoritatem SS. August. & Ambros. Idem est de aliis nec baptizatis, nec in Christum credentibus, qui veniunt nomine Infidelium, quia utrique sunt capaces fructus impetratorii, & Sacrificium Crucis etiam illis profuit, nec Ecclesia ullibi prohibet pro illis offerri. Demum potest offerri Deo in honorem, & memoriam Sanctorum, vel in gratiarum actionem pro beneficiis, quæ Deus illis concessit Tridentin. *sess. 22. cap. 2.* item ad obtinendam eorum intercessionem, ut idem Trident. definit *ibid. can. 5.* Quæ omnia ex antiquissimis liturgiis, & PP. probat Bellarm. l. 2. c. 8. Offerri tamen non potest pro illis, neque ut propitiatorium, cum nulla astringantur culpa, aut poena; neque ut impetratorium gratiæ, aut gloriæ essentialis, quæ illis utpote in termino constitutis augeri non potest: probabilius tamen Suarez, Lug. Dicast. & alii contra Pasq. putant, posse pro illis offerri ut impetratorium alicujus gloriæ accidentalis; sunt enim capaces augmenti hujus gloriæ accidentalis, cum Ecclesia oret, ut Sacrificium Sanctis proficiat ad honorem: item *Ut sicut Sanctis ad gloriam, ita nobis profit ad veniam.*

Contra vero pro Damnatis offerretur non solum invalide, quatenus eis prodesse nullatenus potest, ut est certum ex communissima sententia; sed etiam illicitè, non solum quia prohibitum est ab Ecclesia, sed etiam, quia offerens pro iis excederet terminos sui officii, & ageret contra institutionem Christi: Croix num. 37. ex Pasq. Hinc mortale esset offerre pro eo, qui omnino voluntarie, & sui compos se occidit; offerri tamen potest, secluso scandalo, pro mortuo in duello, quia non constat, obiisse in mortali: Dian. Portell. & alii apud Croix. Præterea saltem illicitè, quod

quod est certum, offertur directe pro excommunicatis vitandis, seu non toleratis, quare peccaret mortaliter, qui pro iis sic offerret Sacrificium, quia ageret contra prohibitionem gravem Ecclesiæ. Dixi primo *Saltem illicite*; nam Suar. Avil. Pasq. & alii ap. Croix n. 32. putant, Sacrificium sic illicite oblatum pro Excommunicato vitando, fore illi utile, quoad fructum specialem impetratorium respondentem Sacrificio, prout est actio Christi, quia pœna Ecclesiæ non videtur debere præjudicare institutioni Christi: de hoc tamen merito dubitat Dicast, concludens, rem esse omnino incertam. Dixi secundo *Directe*: nam indirecte licite offertur, offerendo e. g. pro omnibus peccatoribus, pro reductione Impiorum, vel Hæreticorum. Ratio est, quia sunt capaces fructus impetratorii, & Ecclesia prohibens communicationem in Divinis censetur loqui de communicatione directa, cum prohibitio isthæc, utpote odiosa, sit restringenda: Pasq. Avers. apud Croix n. 31. Dixi tertio *Pro Excommunicatis vitandis*; nam ex Nav. Con. Sanch. Fag. Hurt. Lug. Pasq. Dicast. & aliis contra Sot. Avil. Suar. Vasq. Bonac. Azor. Sal. & alios probabilius est, licitum esse publice, & directe Sacrificium offerre pro Excommunicato non vitando, seu tolerato, quia in Extrav. Martini V. in Concil. Constant. *Ad evitanda* conceditur communicatio cum excommunicatis toleratis etiam in Divinis: v. Croix num. 34. Licitum tamen est privatim orare pro excommunicatis vitandis: hinc potest Sacerdos licite sub *Memento* interne pro illis orare: imo etiam, dum publice orat nomine totius Ecclesiæ, privata tamen intentione, & in propria persona: item potest, sicuti quodvis pium opus, ita etiam Missam, quatenus est proprium opus talis privatæ personæ, pro iisdem offerre in ordine ad satisfactionem, & impetrationem ex opere operantis, quia sic censetur privata oratio, satisfactio, vel impetratio; & tantum opera publica prohibemur pro illis offerre: Sylv. Angel. Armill. Covar. Navarr. Suar. Dicast.

CAPUT III.

De loco Sacrificii.

SACRIFICII locus immediatus est Altare; mediatus est Ecclesia, seu Oratorium; & ex necessitate aliquan-

quando etiam alius Locus Profanus. De his omnibus agendum, tum demum de Loco Obligationis.

§. I.

De Altari.

GRAVE sacrilegium est celebrare absque Altari, ubi-
cunque gentium celebres, & ex quavis etiam ne-
cessitate; ita ut neque id liceat, etiam si alias mors tibi
intentetur, utpote intrinsece malum, contraque reve-
rentiam Sacrificio debitam, ut docent Suar. Pal. & alii
contra Azor. Vasq. Val. Bonac. & alios: notatque
Aversf., vix in tali casu abesse posse contemptum Reli-
gionis: vid. Croix l. 6. p. 2. num. 339. aitque num. 316.
decretum, quod olim fuit, ne quis celebret, in Altari,
in quo celebravit eo die Episcopus, nunc exolevisse.

Quæres primo, Quod sit Altare aptum Sacrificio?

Respondeo, Esse proprie, qui dicitur *Lapis consecra-
tus*; Ideoque posse esse Altare fixum: vel mobile:
fixum dicitur, si eadem prorsus actione consecratus sit
simul lapis cum reliquis partibus fixis totius mensæ:
mobile vero; cum ipse tantum lapis seorsim est conse-
cratus; ideoque dicitur etiam Altare viaticum, & por-
tatile. Neutrius autem consecratio fieri potest, nisi ab
Episcopo, qui nec potest committere aliis: Vel ab Ab-
bate, qui, etsi possit consecrare quodvis Altare porta-
tile, illicite tamen consecraret fixum alienæ Ecclesiæ
absque licentia Ordinarii; exerceat enim ibi Pontifica-
lia: Sede autem vacante consecrari potest ab Episcopo
viciniore, & ex Privilegio Honor. potest à quovis Epi-
scopo, si diocesanus ultra quatuor menses distulerit,
Comp. Priv. Soc. Jesu. Potest autem Papa committere
etiam simplici Sacerdoti; & Nuntii Apostolici sæpe dant
Missionariis facultatem consecrandi Altare portatile:
v. Croix n. 311. Notat etiam Tamb. l. 1. *Miss.* c. 5. in
Ecclesia non consecrata non posse consecrari Altare
fixum sine licentia Papæ, nec in consecrata posse destrui
sine consensu Episcopi.

Quæres secundo, Qualis esse debeat Lapis conse-
cratus?

Respon-

Respondeo, Debere esse unicum ob unitatem Personæ Christi significandam; tantumque esse debere, ut capiat calicem, & patenam, saltem pro majori eorum parte: Croix num. 301. debere insuper esse omnino lapideum, quamvis portatile possit circumdari capsula lignea, vel etiam collocari in reliquo totius mensæ ligneo. Putant tamen Hurtad. Pasq. & alii, portatile posse constare ex duobus lapidibus unione aliqua artificiali junctis, quique ad modum libri plicari possint: & Gob. addit, etiam fixum componi posse ex gypso, aut lateribus cæmento conglutinatis; sed negant Vasq. Fagun. Tamb. & alii, utpote contra communem Ecclesiæ consuetudinem; ideoque addunt, si pars lapidis non consecrati addatur consecrato, non ideo evadere consecratam, quia non facit unum physice continuum. Denique in parvulo lapidis loculo (qui dicitur sigillum, seu sepulchrum) recondi solent in consecratione Reliquiæ Sanctorum, sine quibus invalidam fore consecrationem, docent Bonac. Barb. Azor. & alii; quamvis Suar. Vasq. Con. & alii contradicant. cum non habeatur clarus Textus tantam earum necessitatem requirens, & multa Altaria mobilia consecrata sunt absque Reliquiis. Illud est certum contra Jo. Andr. & Durand., non posse in defectu Reliquiarum includi particulam Hostiæ consecratæ; v. Croix n. 301. & 306.

An autem consecretur Altare per merum Sacrificium bona, vel mala Fide in eo factum? affirmant Sa. Gob. Pasq. & alii, quia ipsemet contactus Corporis Christi est unctio substantialis; ideoque Sa, Gob. putant, licite deinceps in eo sacrificari; quamvis Pasq. requirat ulterius consecrationem ritualem. Sed melius negant Lug. Croix n. 352. & alii, quia talis consecratio extraordinaria deberet provenire ex voluntate Papæ, qui nunquam id declaravit: imo, si interrogaretur, certe reclamaret, maxime, si factum fuerit mala fide, cum non sit malitiis Hominum indulgendum ex cap. *Plerumque, de Rescript.*

Quæres tertio, An liceat celebrare in Altari execrato?

Respondeo negative; Idem enim esset, ac celebrare absque Altari: Doctores communiter. Execratur autem, si forma sit adeo mutata, ut qui antea vidisset, jam

jam non recognosceret pro eodem: vel, si ita enormiter frangetur, ut non sit amplius capax Calicis cum Patena. Hinc non execratur præcise, quod frangatur in quatuor cornibus; imo si frangatur in duas partes, quarum singulæ caperent Calicem cum Patena. Croix num. 300. putat, singulas fervire posse pro Ara, cum non amitterent usum, & finem, adeoque nec consecrationem: idemque ait, si lapis non esset fractus, sed tantum fissus, quia fissura esset veluti vulnus, quod relinquit idem numero corpus; ideoque posse etiam scissuram glutine aliquo sanari. At, si Altare sit fixum, execratur per solam amotionem à basi; quia amittit formam, sub qua consecratum fuerat; secus, si totum simul transferatur ad alium locum Ecclesiæ, cum sic non separetur pars à parte: Suar. Croix. An vero execretur Altare per hoc præcise, quod frangatur sigillum, vel removeantur reliquiæ? Affirmant Azor. Bonac. Barb. & alii, præsertim Canonistæ, & Spor. putat, esse certum ex c. 1. de Consecr. Eccl. Negant Ab. Lug. Sot. Vasq. & alii: additque Pal. ex nullo textu constare præceptum Reliquiarum, sed tantum congruentiam, ob quam Sacerdos, dum dicit *Quorum Reliquia hic sunt*, loquitur de more, eo quod ita solet; uti, dum dicit *Dominus vobiscum* solo uno præsentem; consuetudinem tamen esse iterum consecrandi. Prior sententia videtur probabilior, juxta quam non sufficeret, si iterum reponerentur Reliquiæ; quia lapis execratus se habet, ac si nunquam esset consecratus: v. Croix n. 306. Reliqua de Altari portatili vide §. 4.

§. II.

De Ecclesia, vel Oratorio publico.

SUB gravi etiam præcipitur, ne Sacrificium fiat, nisi in Altari existente in Ecclesia, vel Oratorio publico, ex Trident. *sess. 22. decr. De Observandis, &c.* Nomine autem Ecclesiæ venit Templum consecratum vel saltem benedictum; de Oratorio publico dicam §. 3. In quavis ergo Ecclesia (modo non sit Polluta, seu Execrata, seu Interdicta) potest quisvis Sacerdos, sive secularis, sive regularis celebrare. Potest tamen Ordinarius prohibere, ne Sacerdos v. g. forensis absque sua
licentiâ

licentia celebret in Ecclesiis suæ diœcesis, sive secularium, sive regularium; quia, quod Missam attinet, procedere potest, ut sedis Apostolicæ Legatus, ex Trident. cit. Non videtur tamen talis Sacerdos peccare graviter si absque ejusmodi licentia ibi celebret per aliquot tantum vices. ac veluti per transitum; uti videtur in praxi positum etiam à timoratis?

Quæres primo, A quo consecrari, vel benedici possit Ecclesia?

Respondeo, Nullas Ecclesias etiam Regularium consecrari posse, nisi ab Episcopo, qui, etsi possit id committere alteri Episcopo, non tamen simplici Sacerdoti; cum id tantum possit Papa; Doctores communiter ex *c. Aqua, de Consecr. Eccl. & Alt.* Possunt tamen Religiosi Societatis Jesu efficere, ut consecrentur, aut benedicantur suæ Ecclesiæ cum cœmeteriis, & ut primus lapis ponatur per quoscunque Episcopos, si diœcesani ultra quatuor menses id facere distulerint, *Compend. v. Ecclesia.* Denique valide consecraretur Ecclesia, etsi illicitè, ab Episcopo hæretico, aut excommunicato vitando; quia, etsi ipse esset extra Ecclesiam, adhuc tamen haberet potestatem Ordinis, cui ex institutione Ecclesiæ adnectitur talis potestas: Laym. & alii contra Rodr. & alios. Econtra vero quivis Sacerdos ex licentia Episcopi potest benedicere Ecclesiam; & Superiores locales Regularium absque ejusmodi licentia benedicere possunt suas Ecclesias pro usu eorum dumtaxat ex *Privil. Leo X.* pro usu vero publico requiritur facultas Diœcesani; & si is per quatuor menses distulerit, fatis est quivis alius Episcopus ex modo dictis.

Quæres secundo, Quomodo polluatur, seu violatur Ecclesia?

Respondeo, Per quadruplicem tantum actionem injuriosam ipsi Ecclesiæ: I. Per Homicidium; II. Per Effusionem Sanguinis; III. Per Effusionem Seminis; IV. Per Sepulturam Excommunicati vitandi, aut Infidelis. Addunt alii multi apud Bon., etiam pollui, si consecratur, aut benedicatur ab Episcopo excommunicato vitando, sed id melius negant Suar. Con. & alii, utpote nullo textu clare expressum. Nota insuper, nulla ex dictis quatuor actionibus pollui Ecclesiam, nisi fiat intra ejus pavimentum, & tectum, & nisi etiam sit publica, quia sumus in odiosis sanctitati Ecclesiæ: hinc
non

non polluitur Ecclesia, si actio patretur in ejus Sacrificia, vel supra ejus tectum, vel in campanili, vel ante valvas, vel in Ecclesia subterranea; bene vero, si in ejus sepultura utpote parte ejus interiori; similiter nec polluitur saltem in actu secundo, si actio nondum sit evulgata, ideoque Sacerdos, etsi privatim sciat, potest ibi celebrare: idemque est, si sit dubia, cum possessio stet pro sanctitate Ecclesiæ. Si autem alii publice affirmant, alii negent, standum judicio Episcopi, qui, si tolleret, hoc ipso tollit scrupulum; at si actio primum occulta, deinde certo evulgetur, tunc incipit Ecclesia esse polluta in actu secundo, utut aliqui apud Croix n. 290. limitent, si evulgetur ante tres, vel quatuor menses. Explico nunc quatuor illas actiones.

I. Polluitur Ecclesia per Homicidium, ex *c. Proposuiti, &c. Eccl. de Consecr.* Idque primo, etiam si fiat absque effusione sanguinis, puta veneno, suffocatione, patibulo, &c. Secundo, Etiam si fiat à Judice per Carnificem, vel Martyr in ea occidatur, vel seipsum quis culpabiliter interimat, vel sequatur homicidium ex rixa; quia semper est actio voluntarie injuriosa Ecclesiæ: Doctores communiter. Excipe cum Henr. & aliis contra Dian. & alios, si reus sit perturbator Reipublicæ, nec aliter reprimi possit, nisi occidatur in Ecclesia; tunc enim videtur hæc consentire: similiter nec polluitur Ecclesia, si quis casu, morbo, &c. in ea moriatur, vel si causa lethalis data sit extra Ecclesiam, aut in Sacrificia, &c. licet mors sequatur intra Ecclesiam: secus vero, si econtra.

II. Polluitur per effusionem sanguinis humani, etiam morte non secuta, ex *c. un. de Consecr. in 6.* Debet autem primo esse injuriosa Ecclesiæ, quæ proinde non polluitur, si effusio fiat casu, morbo, aut ab amente, furioso, puero nondum septenni, aut à Chirurgo medente, aut à defendente se cum moderamine, &c. Item neque si vulnus fiat extra, & deinde sanguis effluat intra Ecclesiam; secus econverso juxta jam dicta: quamvis & de hoc dubitet Delb. apud Croix n. 282. Debet secundo esse sanguis copiosus; si enim parum sit sanguinis, non dicitur proprie effusio; imo Con. Graf. & alii docent, neque pollui Ecclesiam, si copia effluat è naso, aut dentibus, quia non tam vi illata, quam sua sponte inde abundanter effluit; quod certum est, si actio non
sufficiat

sufficiat ad mortale, ut limitat Bonac. Debet tertio esse sanguis Hominis viventis; non enim polluitur Ecclesia, si perfosso cadavere effluat sanguis: Doctores communiter contra Sot. & alios; neque si perfossa Hostia Consecrata Sanguis miraculose effluat, quia non ex corpore Hominis mortalis, cum Corpus Christi sit impassibile: Croix n. 284.

III. Polluitur per effusionem seminis humani, five virilis, five muliebris, five intra, five extra vas, etiam si in terram non decidat: Doctores communiter, ex *cit. c. un. de Consecr. in 6.* Debet autem esse evulgata juxta jam dicta, item voluntaria, & copiosa: Hinc non polluitur Ecclesia, si pollutio sequatur in somno, ebrietate, &c. etiam si fuerit voluntaria in causa, ut addunt Henr. & alii: secus vero, si per violentiam ab altero factam; quia est ei voluntaria: Potest. contra Croix: Neque polluitur per emissionem menstruum seminis corrupti, distillationem, &c. Croix n. 288. Neque demum per copulam conjugalem, si fiat ex necessitate, quando scilicet est periculum incontinentiæ in alterutro conjugum, secus, præcisa hac necessitate, ut docent Sanch. Nav. Bon. & alii contra Lop. Vasq.

IV. Polluitur per sepulturam excommunicati vitandi, aut Infidelis, ex *c. Ecclesiam, de Consecr. d. 1.*; non ergo polluitur per sepulturam excommunicati tolerati, ut notorii de facto, aut Hæretici non denunciati nominatim; neque per sepulturam Catechumeni, aut dubie baptizati, quia censentur decessisse cum baptismo flaminis: Sayr. & alii. Neque per sepulturam infantis non baptizati, si sit filius aterutrius saltem parentis fidelis; secus vero, si infidelium: quia hic, non ille, censetur infidelis infidelitate parentum: Palud. Sayr. contra Suar. Fagun. apud Croix n. 387. Si autem in utero matris fidelis ibi sepultæ moriatur fœtus ob incuriam culpabilem, polluitur Ecclesia, sed ratione homicidii, ut not. Bon.

Quæres tertio, An licite fiat Sacrificium in Ecclesia publice polluta, antequam reconcilietur?

Respondeo negative; Est enim grave Sacrilegium, etiam si nulla sit pœna in jure statuta: Doctores communiter: excipe tamen casum necessitatis; puta si die festo populus aliam Ecclesiam non habeat pro Missa audienda.

dienda, vel si ibi sit festum solemne, nec possit adiri Episcopus pro licentia: Tamb. Suar. & alii. Extra hunc casum nec potest celebrari in ejus cœmeterio contiguo; quia polluta Ecclesia illud etiam polluitur; quamvis non econverso: Croix n. 294. Si autem inter celebrandum polluatur publice Ecclesia, debet Sacerdos interrumpere, si nondum cœperit canonem.

Quæres quarto, Quomodo Ecclesia polluta reconcilietur?

Respondeo, Primo, Si erat jam consecrata, solus Episcopus aqua cum sale, & cinere per ipsum benedictis potest eam reconciliare; ita ut nequeat id aliis committere, ut docent communiter contra Vict. Sa, & alios, ex c. *Aqua cit.* Ex privilegio autem Papæ Leonis X. idem possunt Superiores locales Regularium p^{ri} suis Templis, sed per aquam ab Episcopo Diocesano benedictam, nisi is distet per duas dietas, hoc est 40. miliaria; vel sedes vacet, ut addunt alii. Secundo, Si Ecclesia erat tantum benedicta, reconciliari potest à quovis Sacerdote aqua communiter benedicta; expedit tamen obtinere licentiam ab Episcopo, nisi sit Ecclesia Regularium. An vero Sacrificium bona, vel mala fide peractum sufficiat ad reconciliationem, est dubium. Affirmant Sa, Dian. Tamb. & alii. Sed melius negant, Lug. Croix, & alii, quia praxis est, ut si in casu necessitatis in ea celebretur de licentia Episcopi, adhuc indigeat reconciliatione, & similiter si pollutio accidat intra Canonem Missæ: ergo, &c.

Quæres quinto, Quomodo Ecclesia execretur; & an in ea execrata celebrari possit?

Respondeo, Execrari Ecclesiam consecratam, cum notabiliter destruitur ejus forma, quæ consistit in quatuor parietibus cum crûstâ. Non ergo amittit consecrationem, si tota simul dealbetur; neque si solum tectum corruat, cum consecratio sit in parietibus, ex c. *Ligneis, de Consecr. Eccl.*, etsi cum tecto modica pars parietis etiam corruerit; neque demum, si una pars parietis post aliam successive destruat, etiamsi tota Ecclesia sic successive reedificetur, quia censetur eadem manere. Execratur ergo, si parietes, vel unus paries secundum majorem partem corruat, aut destruat; aut si omnis eorum crûstâ, aut saltem major pars simul auferatur: Do-

ctores

Stores communiter. Addit Dian. p. 8. t. 7. r. 93. ex Concil. Nicæn. execrari etiam Ecclesiam per injuriosam exustionem; sed secundum Gloss. in 2. d. 1. c. 20. intelligitur, si pro majori parte ita comburitur, ut destruat, vel decrustetur; non vero secus. Similiter nec execratur præcise per diurnam desolationem, exercitia hæreticorum, spurcitiem hominum, vel animalium illic stabulantium, &c. Decet tamen, & præaxis habet, ut per Episcopum, vel saltem Sacerdotem cum aliqua cæremonia abluatur: Laym. Bemb. & alii.

Nota, Execrata Ecclesia, non proinde execrari ejus stataria, etiamsi fixa; nec converio; quia eorum consecratio est distincta; nec execratio eadem est, ac pollutio, quia fit injuria toti Ecclesiæ: nota insuper, Ecclesiam tantum benedictam non amittere benedictionem, etiamsi corrumpantur parietes, quia benedictio adhæret solo, consecratio autem parietibus: Bon. & alii ex *Text. cit.* Cæterum in neutra potest licite celebrari absque necessitate juxta dicenda §. 4., quia esset idem, ac celebrare extra Ecclesiam. Nota demum, lapides, ligna, &c. Ecclesiæ dirutæ non posse adhiberi ad opera laicorum, sed vel pro alia Ecclesia, vel comburenda sunt, vel auctoritate Episcopi convertenda in usus profanos non sordidos; & similiter converti potest fundus Ecclesiæ dirutæ, si reædificari non possit, erecta tamen ibi cruce. Quoad Ecclesias Regularium in casu necessitatis mutari possunt de loco ad locum à Provinciali; & prior locus reduci potest ad eorum usus humanos; erecta tamen cruce: materia vero reponenda est in altera Ecclesia, ex *Conces. Leo X. Vv. Voc. orac. ut in Comp. Priv. Soc.* Possunt etiam ligna, & lapides Ecclesiæ dirutæ adhiberi pro eorum dormitorio, vel in eorum etiam coquina comburi: v. Croix n. 296.

Quæres sexto, An celebrari possit in Ecclesia interdicta?

Respondeo: Primo, Si interdictum sit locale speciale denunciatum: non posse absque gravi peccato, & pœna irregularitatis, cum sit violatio censuræ, cujus effectum probabiliter nequit suspendere Episcopus, qui tulit, dispensando scilicet ad tempus, ut ibi celebret; quia solus Papa potest dispensare in jure communi: Cæterum, si metu gravi coactus ibi celebret, non peccat, nec fit irregularis, modo non fit metus tibi incussus in contemptum; quia Ecclesia non obligat ad observantiam

R. P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III. L. cen-

cenſuræ cum tanto onere: denique conſeſſum eſt, ut ſi ibi aſſervari ſolebat SS. Sacramentum pro infirmis, poſſit ſemel in hebdomada illud renovari: & ſi urgeat neceſſitas, etiam pluries, ut addunt Suar. & alii. Secundo, Si interdictum ſit locale generale, cum ſcilicet interdicitur Civitas, poteſt celebrari in ejus Eccleſiis, januis tamen clauſis, non pulſatis campanis, & excluſis laicis non privilegiatis.

§. III.

De Oratorio privato.

ORATORIUM privatum ſtriſte acceptum eſt *Locus aliquis intra domum Hominis privati deputatus ad tempus ad Divina Officia*; idque nec conſecratum eſt, nec benedictum, nec habet campanam, nec oſtium patens in via publica; ideoque nec gaudet immunitate; & nutu Fundatoris poteſt ad uſum profanum reduci: Dian. p. 9, t. I. r. I. Dixi, *Hominiſ privati*; Nam Oratorium erectum in palatio Epilcopi, aut in domo Regularium, aut in domo etiam ſecularium, ſed cum ingreſſu etiam ex publica via, perpetuoque deſtinatum cultui Divino, gaudet immunitate, nec comprehenditur ſub decreto tollente Oratoria privata: ſimiliter Oratorium à Miſſionariis privilegiatis certo loco conſtitutum, & Capellæ in carceribus publicis, quamvis immunitate non gaudeant, tamen neque comprehenduntur, &c. Bene tamen Oratoria erecta intra domos Principum, aut in Aulis publicis Civitatis, ubi Senatores conveniunt: Croix n. 264.

Quæres primo, Qua auctoritate erigi poſſit Oratorium privatum?

Reſpondeo ex Trid. ſeſſ. 22. Decr. de Celebr. Miſſ. Non poſſe Epilcopum concedere ſecularibus Oratoria privata, ſed requiri omnino privilegium Sedis Apoſtolicæ: Croix n. 263. Addunt tamen Paſq. Dian. r. 21. & alii, poſſe Epilcopum concedere Oratorium habens oſtium patens extra domum, ut in illo Miſſæ celebrentur absque facultate Sedis Apoſtolicæ, ibique poſſe audiri à ſolis dominis, & clauſis januis. Poteſt idem Epilcopus (non autem Vicarius Capitularis ex Dian.) in propria domo Epilcopali erigere, & mutare ſuum Oratorium; uti etiam in villa Epilcopali, & in pluribus ſimul

simul domibus propriis Episcopalibus. Possunt pariter Regulares absque Ordinarii licentia erigere, & mutare Oratoria in suis domibus, & villis pro eorum tantum usu; requiritur tamen, ut eorum Provincialis per seipsum inspiciat, & designet locum, quamvis possit is committere alteri, ut judicet de idoneitate, & tunc per seipsum etiam in absentia approbare: Lug. Croix num. 275, addens, non posse Regulares permittere, ut in schola, vel aula celebretur Missa, scilicet solemniter noctu Nativitatis Domini. &c.

Quæres secundo, Quomodo fit erigendum Oratorium privatum ab habente privilegium Sedis Apostolicæ?

Respondeo, Visitandum, ac designandum esse prius locum ab Episcopo ordinario loci, ex Trid. cit. & verbis apponi solitis ejusmodi privilegiis; non est autem opus, ut habeat quatuor muros, sed pro quarto apponi potest tela ad commoditatem, &c. nec qui in eo comederet, aut exerceret usus alios profanos, peccaret, nisi ad summum venialiter: nisi vero id fiat constanter, & per modum habitus: nec illicitum est super illud ponere lectos, aut alia profana exercere; imo & ad arbitrium Privilegiati potest destrui, & ad usus profanos converti: Croix n. 266.

Porro Oratorium hoc durat usque ad mortem Privilegiati, cum sit personale: ideoque nec cessat morte Papæ concedentis, aut Episcopi designantis, cum sit gratia facta, unde nec opus erit licentia novi Episcopi: Croix num. 268. Si autem privilegiatus mutet domicilium in aliam Diocesim, fert quidem secum privilegium personale; sed requiritur inspectio, & approbatio alterius Episcopi, ut ibi erigatur: Doctores communiter: idemque, si in eadem Diocesi mutet domum, vel in eadem domo mutet Oratorium de loco ad locum; quia prior designatio non se extendebat ad hunc locum: Tamb. Quart. & alii contra Dian., Quintanad. apud Croix n. 289. At, si Privilegiatus sit alibi tantum ut peregrinus, non potest ibi frui privilegium; item nec potest habere unum domi, & simile alterum ruri, cum vi talis privilegii facultatem ejus habeat in uno tantum loco: Pasq. apud Croix n. 269. Denique Oratorium privatum, cum non sit consecratum, nec benedictum, non polluitur per quatuor illas actiones, quibus polluitur Ecclesia, aut Oratorium benedictum; Suar. Gob. & alii; putat tamen Laym. pollui illud,

quod per Episcopum est perpetuo deputatum ad Officia Divina.

Quæres tertio, Quot Missæ singulis diebus dici possunt in Oratoriis privatis?

Respondeo, Decr. Clem. XI. 15. Dec. 1703. ita statuere: *Non licere cuivis etiam Regulari, etiam Episcopo, in Oratorio privato per Sedem Apostolicam concesso, celebrare diebus Pasch., Pentecost., Nativitatis Domini, aliisque festis anni solemnioribus, ac diebus in indulto expressis; in reliquis vero diebus non licere Regularibus, & Sacerdotibus, etiam Episcopis, ibi celebrare, si celebrata sit unica Missa, quæ in indulto conceditur.* Itaque in Oratorio privato rigoroſe accepto illicite celebratur in festo Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Pentecost., Annunc., Assumpt., Apost. Petr. & Paul., & Omn. SS., & optant Ordinarii, ut neque in festo Patroni Princ.: idque verum est, etiamſi in privilegio expresse non excipiantur; nisi vero privilegium concessum sit ob infirmitatem: Croix num. 271. In reliquis vero diebus, Quarti ait, esse mortale, si plures eodem die Missæ celebrentur; &, quamvis March. dicat oppositum, si non adfit particula taxativa *tantum*, id tamen dici nequit post Decr. cit. Hæ autem prohibitiones non militant contra Oratoria Episcopi, Regularium, Carcerum, aut etiam privatorum cum ingressu ex publica via; ideoque in his, & dictis festis solemnibus potest celebrari, & possunt quotidie plures Missæ à pluribus successive dici: Croix n. 264.

Quæres quarto, An omnes audientes Missam in Oratoriis privatis satisfaciant præcepto Ecclesiastico diei festi?

Respondeo, ex Decr. cit. ita statuente: *Demandando ulterius, & declarando, in omnibus ejusmodi casibus, personas quascunque dictas missas audientes nullatenus præcepto Ecclesiæ satisfacere.* Itaque primo, Nemo, etiamſi sit ex privilegiatis, satisfacit audiens ibi Missam Festis solemnioribus exceptis, ut supra, imo nec ipse celebrans; nisi vero privilegium concessum sit titulo infirmitatis: Secundo, Nemo omnino satisfacit aliis festis audiens, aut celebrans ibi alteram eodem die Missam; nisi forte infirmus privilegiatus audiendo alteram ex tribus Missis dici solitis die Nativitatis Domini: Tertio, Nemo omnino satisfacit celebrans, aut audiens ibi Missam *Extra debitas horas, & post meridiem*: Quarto, Nemo

Nemo etiam satisfacit audiens ibi illam unicam Missam privilegio concessam; exceptis Privilegiato cum ejus familia, ejusque hospitibus nobiles, & ipso etiam Celebrante cum Ministro; imo etiam neque hi, si Missa dicatur notabiliter *Post meridiem*, ex *Decr. cit.* quidquid ante hoc *Decr.* dixerint Pasq. & alii apud Croix l. 3. p. 1. num. 628. Nota semper, hæc tantum procedere de Oratoriis privatis rigorose dictis, non vero de aliis. Nomine autem *Familia* veniunt omnes, qui habitant in domo Privilegiati cum quadam habitudine ad illum; ideoque Tambur. & alii extendunt hoc privilegium etiam ad ejus fratres inhabitantes, etfi redditibus, & mensa separatos, imo etiam ad famulos salariatos, etfi dormientes alibi, modo ex officio illi semper famulentur, contra Bonac.; nullatenus vero ad eos, qui per accidens ibi inhabitent, nisi vero sint ejus hospites nobiles cum eorum etiam famulatu, idque concessum sit in Privilegio: vid. Croix ibidem, & l. 6. p. 2. num. 272.

Quæres quinto, An ex vi hujusmodi privilegii liceat Missam celebrari in Oratorio privato, etiam sine præsentia illorum, puta alterius saltem ex conjugibus, ad quos privilegii, seu indulti concessio est directa?

Respondeo, Ex præcit. *Decr. Clement. XI.* Missam non posse celebrari, *Absque præsentia personarum, quarum contemplatione concessio emanavit*, adeo ut, quamvis concessio dicat *In tua, & tuæ familia præsentia*, tamen secundum Croix num. 272. Henr. Rodr. & alios non sufficit præsentia aliquorum ex familia, te principali absente; etfi probabile reputaverint oppositum Pelliz. Pál. & alii. * Quorum tamen sententia nunc videtur amittere omnem omnino probabilitatem ex eo, quod, cum ejusdem quæsitæ resolutio delata fuerit die 3. Decembr. 1740. Benedict. XIV. feliciter regnanti, hic per Epistolam Encyclicam incip. *Cum duo Nobiles* sub data 7. Januarii 1741. declaravit vigore similis indulti, *Non licere celebrari Missam in Oratoriis privatis, quando eidem Missæ actu non intersit aliquis ex iis, quibus principaliter indultum concessum est. Indultum vero principaliter concessum intelligi iis tantum, quibus Breve dirigitur, nimirum Personis illis, quæ à tergo ejusdem Brevis proprio nomine nuncupantur.* Hæc Pontifex ad uberrimam quæsitæ resolutionem.

De Loco profano.

TRID. *sess. 22. Decr. de Celebr. Miss.* Ordinariis locorum Episcopis ita præcipit: *Non patiantur privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria ab eisdem Ordinariis designanda, & visitanda, S. hoc Sacrificium à Secularibus, aut Regularibus quibuscunque peragi; additque eis potestatem procedendi ut delegatis Sed. Apost. non obstantibus, &c. Ideoque communiter contra Sot. & Sa docent, esse mortale oppositum, præciso privilegio, dispensatione, aut gravi necessitate: Lug. de Euch. d. 20. n. 48.*

Quæres primo, An possit Episcopus dispensare, ut celebretur in domibus privatis?

Respondeo negative, tum ex Trid. cit. tum præsertim ex decr. Clem. XI. etiam cit. Addit tamen Gallem. cum aliis apud Croix l. 6. p. 6. n. 263, id intelligi de Oratoriis, in quibus per modum habitus celebretur; ideoque etiam nunc posse Episcopos dispensare, ut pro gravi necessitate, puta persona graviter ægrotante, celebretur Missa in ejus domo aliquoties, vel pro dando Viatico, &c. quod tamen alii communiter negant, præsertim post decretum cit. ex quo illud est certum, *Non posse hodie Episcopum, aut Cardinalem, neque in sua, neque in aliena Diœcesi, extra domum suæ habitationis in privatis laicorum domibus erigere altare, ibique celebrare, aut celebrari facere.* In *Comp. autem Privil. Soc.* habetur, ut ex facultate P. Generalis possint nostri infirmi Missam in proprio cubiculo super altari portatili, in loco tamen decenti, celebrari facere, & communicari, sine licentia Ordinariorum, ex Pio IV.

Quæres secundo, An in casu aliquo necessitatis celebrari possit in loco profano?

Respondeo affirmative; Quia lex ecclesiastica prudenter præsumitur tunc non obligare; dummodo adsit Altare portatile: Doctores communiter. Casus autem sunt primo, Si nulla ibi sit Ecclesia, vel omnes dirutæ, & incolæ, vel aliqui peregrinantes diu (puta per mensem) Missa deberent carere; imo etiam ne in Festo solemniori ea carere cogantur; vel si magnus sit populi concursus ad imaginem miraculosam; vel si in Festo solemniori

Iemni templum eos non capit; tunc enim de licentia Episcopi, vel si absit, etiam absque licentia potest celebrari in Altari portatili, sive juxta Ecclesiam, sive intra ipsam etiam dirutam, sive sub dio, &c. Tamb. & alii communiter: Secundo, Celebrari potest in Altari portatili in Castris pro militibus, sed festis tantum diebus, ut limitant Lug. & alii; quamvis Pasqual. apud Dian. censeat, etiam in non festis permitti posse Generalibus, & primariis Ducibus in suis tentoriis: Tertio, Celebrari similiter potest in portu pro appulsu navis; non tamen in navi, ob periculum effusionis sanguinis; ut communiter docent apud Bonac. Contrarium tamen habet praxis Lusitanorum euntium in Indiam ex permissione Clem. VIII & Paul. V., ex qua indefinite licere dicunt Fagun. & Gran., nec improbat Lug.; limitandum tamen cum Dian. & aliis, si magna sit tranquillitas, & adsit alter Sacerdos, qui post consecrationem firmiter teneat calicem: cum qua limitatione Gran. docet, etiam Episcopus posse id concedere in necessitate, ne scilicet magna multitudo navigantium privetur Missa, vel moribundus decedat sine Viatico; quamvis Con. & Turr. id Papæ reservatum velint, ex decl. Card. ap. Dian. vid. Croix Tamb. l. 1. Miss. c. 6. §. 1.

Quæres tertio, Quinam usus Altaris portatilis sit hodie prohibitus?

Respondeo ex Decr. Clem. XI. cit. *Episcopis, & his majoribus Prælatibus, etiamsi Card. . . . Nullo modo licere extra domum propriae habitationis, in domibus laicis, etiam in Diœcesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi Diœcesani consensus adhiberetur, erigere altare, ibique celebrare, sive celebrari facere*; Hujusmodi prohibitio intelligenda non est de domibus, etiam laicis, in quibus ipsi Episcopi forte occasione visitationis, vel itineris hospitio excipiantur: ita ex nuperrima moderatione Concil. Rom. sub Bened. VIII. ann. 1725. An autem possint dispensare, ut aliquando celebretur in domo infirmi, dictum est supra: v. Croix n. 263. *Licentias etiam, seu Privilegia concessa nonnullis Regularibus in cap. In his, de Priv. & per aliquot S. Pont. aliis Regularibus communicata utendi Altari portatili, in eoque celebrandi sine Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omnino revocata esse; &c.* quod certe intelligitur in privatis domibus, &c.; non vero intra domum ipsam Religiosorum. Quid autem possunt Mis-

tionarii apud infideles, videant in suis privilegiis. Nota interim, per hoc decretum sublata esse privilegia etiam in corpore Jur. &c. Ex hactenus dictis inferens, absque gravi necessitate, aut privilegio, aut dispensatione peccatum esse (& quidem mortale ex communi sententia contra Sot. & Sa) celebrare extra Ecclesiam, quæ etiam debet esse consecrata, vel saltem benedicta; adeoque divino cultui perpetuo dicata: Lug. de Euch. d. 20. num. 48.

§. V.

De Loco Obligationis.

Locus obligationis est talis Ecclesia, vel talis Capella, vel tale Altare, vel Altare privilegiatum, in quo ratione Capellanæ, Legati, aut Stipendii manualis, tenetur Sacerdos quotidie, vel statis diebus, vel aliquando celebrare.

Dico: Peccatum est ex genere suo mortale alibi, quam in loco obligationis celebrare: Bon. Fagn. Barb. Ricc. & alii apud Tamb. l. 3. Miss. c. 2. Ratio est, quia fit contra mentem obligantis in re ex genere suo gravi: Dian. p. 4. t. 4. r. 40. Sacerdos institutus, & obligatus ad celebrandum in certo Altari Privilegiato pro anima, &c. satisfacit obligationi, si alibi celebret secum habens calculum, seu numisma Benedictum, cum quo æqualis indulgentia plenaria acquiritur; quia satisfacit per æquipollens; nisi vero Fundator voluit, tale Altare honorari, & coli, quia suum: Meg. March. Frax. alique: negat tamen absolute cum Lug. & aliis probabiliter Tamb. l. supra cit. §. 1., quia regulariter indulgentia applicata Altari esse solet magis authentica, & secuta: quam quæ applicatur calculo: quod & Fidelium persuasione liquet. Dixi, *ex genere suo*, quia dari potest in hoc parvitas materiæ, ob quam aliquando venialiter tantum peccatur; ut, si Capellanus obligatus toto anno ad Missam quotidianam in tali Altari privilegiato, bis, aut ter in anno alibi celebret: Doctores communiter apud Dian. p. 2. t. 14. r. 29. Si vero in tali Altari, sed non privilegiato, Tamb. excuset etiam à mortali, si uno, vel altero die singulis mensibus alibi celebret, & facilius, si celebret in alio intra eandem Ecclesiam; & Lug. apud eundem excusat etiam à veniali Capel-

Capellanum Missæ quotidianæ raro alibi ex aliqua rationabili causa celebrantem, quia non censetur obligans cum tanto rigore eum velle onerare; imo, si principalis finis ejus sit velle applicationem Missæ, ne veniale quidem est, alibi sæpe celebrare, quando constet, eum parum curare de præsentia, seu officiatura in tali loco: at, si sit obligatio unius, vel alterius Missæ manualis in tali loco, celebrantem alibi non excusarem à mortali, si locus erat altare privilegiatum, vel peteretur in eo principaliter officiatura, nimirum ob commoditatem audientium Missam, vel honorem alicujus Sancti, &c.; quamvis Tamb. c. 2. hunc non obliget ad restitutionem, quia Missam danti eleemosynam jam applicavit, ut supponitur; & commoditas officiaturæ jam præterit, & damnum Altaris privilegiati omitti non potest obligare ad alterum ibi Sacrificium; cum nemo ex justitia teneatur reddere plus, quam debet.

Quæres primo, An possit Episcopus dispensare, ut celebres alibi à loco, in quo es obligatus?

Respondeo affirmative, Dummodo addit causa dispensandi proportionata; quia habet legitimam facultatem dispensandi in iis, quæ passim occurrere possunt: Doctores communiter apud Tambur. cap. 2. §. 2. Causa autem esse potest, utilitas propriæ Ecclesiæ, applicatio studendi, negotii necessitas, & similia, &c. Noto hic, præter licentiam Episcopi non requiri, nisi ex consilio ad vitanda scandala, consensum hæredis alterius obligantis, nec illius consensum sufficere sine licentia Episcopi; quia hic, non autem ille, habet clavem dispensandi. Neque obstat Trident. *sess. 25. c. 5. de Reform.* prohibens, mutari qualitates Foundationum; quia loquitur de earum substantia: eas ergo quoad substantiam relictas reducere potest Episcopus ad æquitatem, concedendo scilicet, ut alio loco Missa dicatur, si impossibile, vel nimis molestum foret in loco designato celebrare; nisi vero celebrandum ibi esset ob commoditatem populi audituri Missam, ut addit Pasq. apud Croix n. 120.

Quæres secundo, Quid agendum sit Capellano obligato celebrare in tali Ecclesia, si ea sit polluta, execrata, vel interdicta?

Respondeo, Capellanum, seu quemcumque obligatum ad Missam hodie in tali Ecclesia celebrandam, si contingat,

tingat, eam pollui, & ea erat tantum benedicta, obligari ad reconciliandam juxta dicta S. 2. quia tenetur tollere impedimentum, si potest. Si autem non potest, vel ea sit execrata, vel interdicta, cui ipse causam non dedit (si enim dedit, tenetur curare tolli interdictum) tunc attendenda est mens obligantis: si enim is solum intendit officiatorum in tali loco, ad nihil tenetur Sacerdos; si intendit applicationem, vel cultum specialem Sancti currentis, tenetur Sacerdos alibi celebrare, vel alio die supplere, quia ita præsumitur ex voluntate obligantis: Tamb. l. 3. c. 5. §. 2. Nota hic, si Ecclesia, in qua est Altare privilegiatum, destruat, manente integro Altari, perire privilegiatum, uti decisum esse testantur Dian. & Gob. ap. Croix n. 523.

CAPUT IV.

De Tempore Sacrificii.

AD Sacrificii tempus pertinent ista: I. Quo die? II. Qua hora? III. Quo die, five designetur, five non designetur, five designetur quotidie? Verum de hoc ultimo pauca quædam hic addentur; cum reliqua huc spectantia dicta abunde sint de Missæ stipendio tr. 4. d. 2. q. 1. c. 2. §. 3.

§. I.

Quo Die?

VIDENDUM, Primo, An Sacerdos teneatur aliquando celebrare? Secundo, Quo die possit? Tertio, Quoties eodem die? Itaque

Quæres primo, An Sacerdos teneatur aliquando celebrare?

Respondeo, Simplicem Sacerdotem (qui scilicet aliunde non sit obligatus beneficio, legato, stipendio manuali, promissione, voto, & similibus) si non sit legitime impeditus, teneri ex mandato Episcopi sub gravi culpa celebrare saltem Dominicis, & Festis, ubi Tridentinum est quoad hoc receptum: si vero nullum sit Episcopi mandatum, teneri etiam sub gravi aliquando intra annum celebrare;

celebrare; & quidem ter in anno, & præcipue Natali Domini, Pasch. & Pentecost. docent nonnulli apud Dian. p. 2. t. 14. r. 19. satis tamen esse, si, præciso scandalo, semel, hoc est in Pasch. quando scilicet est obligatio communicandi, docent alii cum D. Bonav. in 4. d. 12. a. 2. q. 21.; additque Tamb. l. 1. *Miss.* c. 6. §. 2. cum aliis, nec peccatum graviter, si tunc tantum communicet, quia nec apparet præceptum cum tanto rigore obligans. Obligatio autem dicendi tres Missas (Spiritus Sancti, B. V. & Defunctorum) post primam Missam, quæ imponitur Sacerdoti, dum ordinatur, etsi Suarez, & alii dicant esse sub mortali, at sub veniali ob decentiam, dicunt alii apud Croix num. 2319. In Cathedrali vero. Collegiata, & Conventuali (ubi est competens Sacerdotum numerus) debet quotidie una saltem Missa privata celebrari, & altera cantari; peccantque graviter earum Rectores, si in hoc deficient: Doctores communiter ex c. *Cum creatura*, de *Col. Miss.* Eos tamen à mortali excusant Tambur. num. 4. & alii, si (præcisa alia obligatione) semel, vel bis in hebdomada alterutram omittant; quia nec constat de consuetudine accepta sub mortali, nec ex *cit. cap.* eruitur, ut quotidie, &c. idemque putat, si in Collegiata, cadente die Festo in Feriam privilegiatam (scilicet Vigiliæ, Quatuor Temporum, Rogationum, & Quadragesimæ) semel omittatur Missa solemnis de feria canenda post nonam; quia non constat declaratio opposita S. Congr. quam refert Asc. Tamb.; & Rubrica Missalis solum dicit, *Cantentur duæ Missæ currentis Festi, & Feriæ privilegiatæ*, ideoque non præcipit. Majus est dubium de Ecclesiâ Regularium canentium in Choro, quam Portell. censet esse vere Collegiatam; negat tamen Rodr. cum Peyr. apud eundem Tamb.

Denique Parochus, etsi sub gravi teneatur celebrare vel per se, vel per alium, quando ejus Parochiani tenentur audire Missam, cum teneatur ratione officii; tamen extra id tempus non tenetur, præcisa consuetudine, lege speciali, vel pacto, &c. cum nihil in jure sit circa id statutum: ideoque in Natali Domini nec tenetur, nisi unam Missam curare, cum ad unam tantum audiendam teneantur ejus Parochiani: Tamb. §. 2. n. 2.

* Addenda hic, quæ circa Missam Parochialem, & Conventualem per Epistolam Encyclicam incip. *Cum semper* declaravit, ac fanciit Bened. XIV. die 19. Augusti

gusti 1744. nimirum, Primo, quod Sacrificium Missæ à Pastoribus Animarum applicari debet pro populo ipsorum curæ commisso, idque veluti ex divino præcepto descendens, uti diserte exprimitur à Trid. *sess. 23. c. 1. de Reform.* Secundo, Quod iidem Pastores non tenentur ad dictam applicationem pro populo, quotiescunque celebraverint, sed in Dominicis, aliisque per annum Festis de præcepto, in quibus etiam ex Tridentin. debent populum salutaribus verbis pascere: Tertio, Nomine dierum Festorum veniunt etiam ii, in quibus populus Missæ interesse debet, licet possit alicubi operibus servilibus vacare: Quarto, Parochi vere egentes possunt ex Episcopi facultate, aut dispensatione eleemosynam dictis diebus festis pro Missa accipere ab aliquo pio offerente, & pro ipso Sacrificium applicare; dummodo ad necessariam populi commoditatem in ipsa Ecclesia Parochiali Missam celebrent; ea tamen conditione, ut tot Missas infra hebdomadam pro populo applicent, quot in diebus Festis infra eandem hebdomadam occurrentibus juxta peculiarem intentionem alterius pii Benefactoris obtulerint: Quinto, Ubi Vicariis, sive perpetuis, sive ad tempus Animarum curam administrantibus, quæ apud alios habitu residet, ratione alicujus Ecclesiæ Parochialis, ipsorum Ecclesiis, seu Monasteriis, Collegiis, aut locis piis olim unitæ, ubi, inquit, præscripta juxta Pii V. sanctionem fructuum portio reputetur ab Episcopis minime sufficiens propter temporum circumstantias, & signanter pro onere applicandi, ut supra, Missam pro populo; utantur Episcopi potestate per Tridentinum accepta, & congruam dictis Vicariis fructuum portionem assignent.

Circa Missam Conventualem approbat & confirmat vetera Decreta, tum primo inculcat, ut talis Missa, quæ singulis diebus canitur à Clero Ecclesiæ Cathedralis, Collegiatæ, &c. pro Benefactoribus in genere quotidie applicetur; nam debitum celebrandi Missas Conventuales, non singulares Benefactores, sed Benefactores in genere respicit: Secundo, Huic debito non satisfacit per alias preces, quæ interdum fiunt, vel per anniversaria fratis diebus sacrificia pro Benefactoribus in genere peracta: Tertio, Excusationes afferri solitas ad declinandam obligationem sic applicandi Missam Conventualem sublatas dicit per opportunas resolutiones Congregationis Concilii Tridentini, quas ipse approbat, & confirmat; unde

unde statuit, nemini suffragari consuetudinem contrariam, etiam immemorabilem, cum hæc potius abusus dici debeat, & corruptela. Neque suffragatur excusatio ex eo, quod aliqui inveniuntur obstricti alio onere Canonatus, Beneficii, &c. ad quod implendum debeant applicare Missam Conventualem, quam celebrant; nam in tali casu debent Missam Conventualem pro Benefactoribus in genere applicare, & alium substituere, qui ipsorum loco celebret, applicetque pro aliis, pro quibus ipsi deberent, ad alia onera implenda. Si contingat Missam Conventualem non celebrari à Canonicis, aut Dignitatibus, sed à Beneficiatis, aut Mansionariis; istis, ne omni elemosyna careant, desumatur, ac detur ex Massa distributionum. Si enim exiguæ fiunt distributiones ob detractam elemosynam pro Missa Conventuali, providendum ex Trident. sanctionibus *sess. 24. c. 15.* Si neque provideri hac via possit, recurrendum ad Congregationem Concilii, cujus erit, re mature perpensa, applicationem Missæ Conventualis pro Benefactoribus in genere ad Festos tantum dies reducere: Quarto, Ubi plures dicuntur Missæ Conventuales quotidie: Prima sit pro Benefactoribus in genere. Secunda etiam, & tertia, si sponte pro iisdem applicetur, laudabile est; si ex vi consuetudinis in tali Ecclesia vigentis, imperandum, ut in ea consuetudine perseveretur: ubi vero id usu receptum non invenitur, libera sit celebrantibus applicatio secundæ, ac tertiæ Missæ Conventualis, dummodo in Commemoratione pro defunctis, Ecclesiæ Benefactorum in genere non obliviscantur. Demum simplicem Assistentiam in Choro sine divinæ psalmodiæ cantu reprobatur: sic enim Assistentes, inquit, nisi Apostolicum privilegium legitimum, ac vigens præsto sit, verendum, ne Præbendarum, ac distributionum fructus minime suos faciant, dum ita se gerunt.

Quæres secundo. Quo die celebrari possit?

Respondeo, per se loquendo, Possit licite celebrari quotidie, *Salva tamen honestate sua, Et debita devotione,* ut dicitur cap. *Significatum, de Præb. Dixi, per se loquendo,* quia sub gravi prohibetur die Veneris Sancti; in quo ex declar. Cardin. apud Dian. contra Hurt. nec licet communicare, nisi pro Viatico; quod nec tunc potest confici, nisi forte secus infirmus moriturus esset in peccato; quinimo, si nulla relicta sit hostia pro eo die, de-

bat

bet Parochus potius omittere omnia; nisi forte habeat particulam consecratam; quam si nec habeat, Gob. putat, ad vitandum populi scandalum, posse mane celebrare privatim Missam de Passione, & consecrare duas hostias absque ablutione; vel curare, id & fieri per alium Sacerdotem, si adsit: v. Croix num. 233. At die Jovis Sancti, & Sabbato Sancto, quamvis consueta sit praxis abstinere à Missa privata in signum mœroris, &c. tamen licite posse à quovis id fieri; etiam in publico templo, saltem ante inceptam Missam solemnem die Jovis, & saltem incepta Missa solemni Sabbato Sancto, communiter docent Doctores ibidem, quia de primo nulla adest prohibitio, & quæ affertur à Persic. apud Tambur. nondum constat authentice; de secundo autem, si qua fuit, est abrogata usu etiam Timoratorum; tamen Averf. apud Croix recte dicit, consultum non esse, & apud eundem num. 2055. & 295. est hodie prohibitum, ex decr. S. C. 1690. ideoque, si his diebus incidat Festum, possunt plures Missæ celebrari ad commoditatem audientium, &c. Cæterum qui tenetur quotidie celebrare, potest dictis diebus abstinere, conformando se praxi, & aliorum opinioni.

Nota hic ex March. apud Tambur, n. 3. prohibitam esse à S. Congr. Missam solemnem in Oratoriis Confraternitatum his diebus, ut & Sacramentum in sepulcro, &c. absque licentia Episcopi. Item nota ex Senny, apud Croix n. 507. non prohiberi his diebus Missam solemnem de *Requiem* præsentem cadavere; non tamen Missas privatas ejusmodi, ex S. Congr. apud eundem.

Quæres tertio, Quoties quis eodem die celebrare possit?

Respondeo, Olim toties, quoties voluisset, & quidem novies in die aliquando id fecisse S. Leon. III. refert Gob. apud Croix n. 235. Nunc vero ex universali consuetudine semel tantum est licitum, excepto privilegio, vel causa necessitatis, ex cap. *Consulvisti de Celebr. Miss.*

I. Itaque unum privilegium est in Natali Domini, in quo potest Sacerdos (non tamen tenetur) ter celebrare, modo sit usque ad tertiam jejunos. At non potest bis celebrare, & semel communicare more laico; ideoque nec potest Cardinalis Diaconus Sacerdos, quia ea nocte communicat in Missa Papæ, dein celebrare; quia privilegium

pliam est solum de ter celebrando: Lug. apud Tambur. Potest tamen Episcopus ea die ordinatus communicare in Missa, in qua ordinatur, & postea bis celebrare; quia in prima fuit etiam Sacrificans: Gob. apud Croix n. 242. qui etiam n. 240. ait, Sacerdotem, qui præest duabus Parochiis (ideoque potest eodem die binare juxta dicenda num. seq.) posse in Natali Domini dicere sex Missas, dummodo sit jejunus usque ad ultimam, quia fruitur privilegio duorum Parochorum: & n. 241. ait, qui in uno loco, ubi est novum Calendarium ter dicto die celebravit, si eodem anno veniat ad locum, ubi est Calendarium vetus, posse iterum ter celebrare, applicando sibi præsens privilegium loci. Alterum privilegium est in Regno Valentiae, ubi die omnium defunctorum potest Sacerdos Secularis bis celebrare; & Religiosus ter ibidem, & in pluribus aliis Regnis Hispaniae: idemque possunt Dominicani Conventus Pampilonensis, S. Jacobi, & Trinitarii, ex Leandr. apud Croix n. 235.

II. Causa necessitatis est communiter, Primo, Si quis præest duabus Parochiis, & nisi bis eodem die ibi celebret, alteruter populus careret Missa; quod fieri posse non solum die festo, sed etiam feriali, docent, Suarez, Lugo, & alii, ne scilicet alteruter populus privetur potestate offerendi Sacrificium; additque Suarez, Parochum tunc impeditum posse rogare alium Sacerdotem ad similiter binandum, & Tambur. ex Fagun. ait, quemlibet Sacerdotem, ubi est horum raritas, posse in dicta necessitate pluries in die celebrare, etiam nulla petita licentia ab Episcopo forte vicino, quia *Jus commune c. cit.* absolute facultatem concedit; debet tamen usque ad ultimam Missam esse jejunus: Doctores communiter. Secundo, Necessitas binandi esse potest, si aliter quis decederet sine Viatico, modo etiam binans sit jejunus, ut concedunt Doctores communiter, qui tamen casus, ut notat Tamb. solum haberet locum, si Sacerdos accepto calice ante ablutionem sciret, aliquem esse moribundum; si enim antea sciat, debet servare de sua hostia: aliqui tamen cum Zanard. Zamb. Philiar. putant, in tali casu Sacerdotem etiam non jejunum posse binare: quorum sententiam Suarez, Fill. Lugo, Dicast. vocant probabilem, & Layman. concedit, si aliud Sacramentum non possit sumere infirmus: v. Croix n. 611. Illud certum, si post consecrationem etiam unius speciei deficiat celebrans, posse alium, etsi celebraverit, non jejunum supplere

plere reliquum Missæ; sed id non est binare, sed alterius sacrificium complere.

Præter dictas duas necessitates, alii apud Croix n. 236. admittunt, posse etiam binari, si superveniat Princeps, vel Episcopus volens audire Missam, nec sit alius Sacerdos: item, si superveniat multitudo peregrinorum: item, si superveniat defunctus, ubi sine Missa sepeliri non solet: item, si benedicendæ sint nuptiæ: item quæcunque alia simili necessitate arbitrio prudentis, &c. Verum oppositum communius dicendum, tum ex cap. *Te referente, de Celebr. Miss.* ubi Episcopo Sipontino mandatur, ut in die Coenæ Domini in Ecclesia Sipontina tantum celebret ad conficiendum Chrisma, & non binet etiam in Garganica ob peregrinos, &c.; tum etiam ex S. Congr. 1. Sept. 1657. prohibente, Episcopo Paraquariensi celebrare diluculo pro nobilibus impotentibus deinde decenter adesse, & deinde pro populo: v. Croix ibid.

§. II.

Qua Hora?

HORA celebrandi est ab aurora ad meridiem, ex Pio V. in *Rubr. Miss.* Videndum nunc Primo, An liceat ante auroram. Secundo, An liceat post meridiem? Tertio, An liceat ante recitatas Horas Canonicas? Quarto, An liceat Missam abrumpere? Quinto, An liceat interrumpere? Itaque

Quæres primo, An liceat celebrare ante auroram?

Respondeo negative, Excepto die Nativitatis Domini, privilegio, ac necessitate: Doctores communiter ex Trid. præcipiente, ne aliis, quam debitis horis celebretur, & ex consuetudine approbata à Pio V. & censura Prælatorum punientium delinquentes. Nota hic, ex S. Congr. apud Gav. auroræ tempus sumendum, non mathematice, sed moraliter; ideoque nihil peccare, qui Missam finitum, cum incipit aurora, quæ quidem incipit apud nos hora cum dimidio, antequam videatur oculis ipsum corpus solare: Suarez, Tambur. & alii apud Croix n. 226. ideoque potes licite incipere duabus plus minus horis ante, quia sic finis Missæ coincidet cum initio auroræ; si amplius anticipes, ita ut finias duabus circiter horis ante solem, peccas venialiter, & cum causa nihil peccas;

cas; ita colligo ex Tamb. l. i. *Miss. c. 6. §. 4. n. 19.* & aliis: si plus anticipes, peccas mortaliter: Doctores communiter.

Excipe primo Natalem Domini; tunc enim immediate post mediam noctem possunt, non solum una, sed ex probabilissima opinionione omnes tres solitæ Missæ à quovis Sacerdote celebrari: Suarez, Vasquez, Lug. & alii contra Fagun. & Nug. ap. Tambur. n. 5. quibus favet S. Congr.

Excipe secundo, Religiosos communicantes in privilegio Societatis Jesu, quo à Gregor. XIII. conceditur, ut possint causa itineris, vel alterius legitimi impedimenti celebrare per horam ante auroram; adeoque incipere tribus horis ante ortum solis, ut infert Tambur. ex dictis, quod communicatum est omnibus Superioribus, & quibus ipsi commiserint; ut in *Comp. Priv. Soc. J.* Extant apud eundem tria alia Privilegia: Primum Alex. VI. Bullatum Benedictinis, ut possint ob multitudinem confluentium celebrare duabus horis immediate post mediam noctem in propriis Ecclesiis; adeoque etiam claustris, ut probabiliter addit Rodr. contra Lug. Secundum, Leon. X. *viv. voc. orac.* concessum Minoribus, celebrandi de licentia Superiorum illico post Matutinum; & Tertium Greg. XIII. concessum Monachis S. Justinæ, etiam *viv. voc. orac.* ut, dum sunt in itinere, celebrare possint inter mediam noctem, & auroram; quæ tria, etsi revocata non esse dicant Pellizar. Tambur. & alii, tamen nondum esse nobis communicata à Generali asserunt.

Excipe tertio, Casum necessitatis, ut scilicet morturo detur Viaticum; potes enim tunc à media nocte celebrare absque licentia: Doctores communiter. Item anticipari potest horam integram, occasione itineris, secundum Henr. sed communitatis, vel tui, si aliqui deberes solus ire, ut limitat Layman. Similiter, si alicubi sit consuetudo anticipandi, ut scilicet opifices, & famuli possint summo mane audire Sacrum, antequam eant ad opera, &c. Layman. & alii. Item, si ex rationabili causa dispenset per horam Episcopus sive secum, sive cum aliis; quia, etsi nequeant Episcopi concedere privilegium generale, possunt tamen in particulari casu ex causa: idemque est de Superioribus Regularium: Suar. Rodr. Tamb. & alii: justa autem causa est quodlibet impedimentum alicujus momenti prudenter superfuturum.

R. P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III. M Quæ-

Quæres secundo, An liceat celebrare post meridiem?

Respondeo negative, Excepto pariter privilegio, aut necessitate, atque hic etiam meridies accipitur moraliter, & satis est incipere in ipso meridie, etsi finias postea. Si autem absque causa incipias tertia parte horæ pomeridianæ secundum Azor. media hora secundum Layman. tribus quadrantibus secundum Bonac. una hora secundum Sylv. peccas venialiter propter parvitatem materiæ; & cum causa nihil peccas: Tambur. ex Lugo. Ulterius autem differre est mortale: Doctores communiter contra Nav. putantem, licite differri posse usque ad horam tertiam pomeridianam, cui certe repugnat universalis consuetudo.

Excipe primo, Privilegium Greg. XIII. datum Religiosis Soc. Jesu celebrandi intra horam post meridiem ex rationabili causa, & licentia Superioris, qui proinde ex dictis etiam incipere possunt immediate post horam. Extat etiam privilegium Bull. Eugen. IV. concessum Monach. S. Justinæ celebrandi ex justa causa usque ad nonam *inclusive*, hoc est tribus circiter horis post meridiem, quod, etsi non revocatum dicat Tambur. non tamen nobis à Generali communicatum asserit.

Excipe secundo Casum necessitatis, ad dandum scilicet Viaticum, pro quo celebrare poterit quis etiam hora post meridiem, imo etiam tertia hora, sequendo opinionem Navarr. non autem postea. Item inter causas postponendi est secundum Suarez, & alios etiam solemnitas; si scilicet Missa solemnis, & concio diu durat, post quam dici potest alia Missa privata ob commoditatem populi etiam post horam; imo ex Quarti etiam post tertiam, sed quoad hoc attendenda est consuetudo locorum; ideoque, etsi Nav. Gob. & alii putent, Sacerdotem posse incipere hora tertia, ut sic Festo die ipsemet præcepto satisfaciatur, tamen Suarez, & alii melius negant, quia negant, quia non videtur esse tanti, ut unus privatus Missæ præcepto satisfaciatur: Croix n. 228. solum ergo id concedi potest intra horam pomeridianam, si fuerint itinere, sive alio notabili impedimento antea occupatus. Dico *Notabili*; non enim fat est, ut commodius celebretur, ut tardius è lecto per segnitiam exsurrexeris, ut stipem sine indigentia lucrearis, &c. bene tamen infirma valetudo, studium necessarium.

rium, negotium alicujus momenti, multitudo Confessionum, vel confessio longa, vel indigentia stipis ad vitum, &c. Denique dispensare tum secum, tum cum aliis potest in hoc Episcopus una hora, &c. ut eruitur ex dictis.

Quæres tertio, An liceat celebrare antè recitatas Horas Canonicas?

Respondeo, Inter Missæ defectus numerari in Rubr. Miss. §. 10. si celebrans Matutinum saltem cum Laudibus non dixerit. Hinc antiquiores communiter, quibus accedunt Azor. Bellarm. Reg. n. aliique dicunt, esse mortale antea celebrare, tum quia est vetus consuetudo, tum quia Pius V. *Bull. in Princip. Missal.* districte id præcipit. Negant alii communius cum Sylv. Suar. &c. quia nec apparet, consuetudinem esse sub mortali acceptam, nec Pius V. tulit præceptum, nisi observandi ritum Missæ, & recitatio Matutini non est ejus ritus, sed quid præsuppositum, ut not. Pal. ideo Tambur. & alii dicunt, nullum per se loquendo esse peccatum, sed tantum consilium, seu congruum; sed communiter est veniale, utpote contra Rubr. cit. si fiat sine causa, à quo liberaris per causam quamcunque rationabilem: Croix n. 230. Cæterum ex concessione Jul. III. possunt PP. Societatis Jesu cum facultate Generalis jam data sine scrupulo postponere *justis de causis*; & sufficit quævis causa, etiam dubie sufficiens; aliter non esset speciale privilegium. Missa autem Conventualis dicenda est ex universalis consuetudine post matutinum in Cathedr. Collegiat., &c.

Quæres quarto, An liceat Missam abrumpere, seu relinquere imperfectam?

Respondeo negative, ex cap. *Nihil. 7. q. 1.* ubi, *Si quis hæc temere præsumpserit, Excommunicationis sententiam sustinebit*: si quis autem in fine parvam partem omittat, est veniale tantum ob parvitatem materiæ: at si missam parvam etiam parte inceptam deserat, secundum Pasqual. apud Croix n. 244. peccat mortaliter, incurritque suspensionem; quamvis hoc aliis videatur durum. Cum causa vero distinguendum est. Si nondum cœperis Canonem, debes interrumpere, si assistat excommunicatus vitandus, qui expelli nequeat, vel publice polluatur Ecclesia, aut excretur Altare: idemque est, si recorderis, te esse excommunicatum, vel suspensum, vel non

jejunum, vel in peccato, vel cœpisse Missam multo ante auroram, aut multo post meridiem, &c. modo tamen id fieri possit absque scandalo, & infamia; et si Sotus putet, posse pergere, si recorderis peccati, modo si jejunus, nec censuratus: si autem cœptus sit canonicus, pergendum est, nisi urgeat gravis necessitas, sive corporalis, sive spiritualis, tua, vel proximi, sed inde redeundum juxta dicenda quæsit. sequ. Dubium nunc est, an aliquando possis consecrata una tantum specie abrumpere, seu relinquere omnino Missam imperfectam. Negat Pal. et si intentetur mors, quia esset positiva irreverentia vitam tuam præferre essentia Sacrificii: sed distinguendum cum Tambur. & negandum quidem, si ante inceptionem Missæ intentetur mors, nisi consecres solum panem; sic enim directe intenditur sacrificium imperfectum, quod in nullo casu licet, etiamsi ad conficiendum Viaticum; at, si consecrato pane ingruunt hostes, incendium, terræmotus, &c. potes eo statim absumpto, vel tecum ablato abrumpere, si ad consecrandum calicem sine evidenti mortis periculo progredi non possis: Layman. & alii; idque à fortiori, si ingruant hæretici ad inferendam injuriam Sacramento. Contra vero potes, si quis intentet tibi mortem, nisi abrumpas, quia talis metus intentatur in contemptum, & ita intelligo Pal. Eadem dic de abrumpenda Missa inter consecrationem, & consumptionem, quia hæc saltem est perfectio integralis Sacrificii.

Quæres quinto, An liceat aliquando interrumpere Missam?

Respondeo, Absque gravi causa esse mortalem quamcunque interruptionem notabilem, hoc est ultra mediam horam: Croix n. 246. & noto, ad interrumpendum immediate post Evangelium sufficere concionem, processionem expediendam, &c. graviorem vero requiri causam post oblationem, graviorem post inceptum Canonem, & à fortiori à consecratione usque ad consumptionem. Hinc, si ante oblationem danda est Extrema Unctio moribundo jam confesso, & communicato per Viaticum, probabilius non est interrumpenda, quia non videtur tanta necessitas, qua vincatur irreverentia debita Missæ: Tambur. contra Layman. Si autem sit dandum Viaticum moribundo jam confesso, potes interrumpere etiam post consecrationem, si sit intra eandem Ecclesiam; secus vero, si eundem sit foras sine vestibus sacris; tunc

tunc enim non potes, si facta sit oblatio (ea enim nondum facta probabiliter potes) ob eandem rationem: si demum sit danda absolutio moribundo, vel aliud Sacramentum, quo credatur ponendus in gratia, debes interrumpere etiam inter consecrationem utriusque speciei, quia est necessitas extrema vincens irreverentiam: Tambur. l. 2, *Miss.* c. 8. §. 7.

Dum autem reverteris post interruptionem ad Missam finiendam; tunc, si consecraveras vel tantum speciem, pergendum, ubi desieras; si nihil dum consecraveras, tunc, si mora fuit intra horam, poteris pariter pergere, ubi desieras; si plus, quam una hora, poteris à principio Missam inchoare, vel etiam omittere, si non sis aliunde obligatus: Suarez apud Tambur. c. 8. Denique, si superveniat Princeps, vel Prælati, vel Processio, vel similes, audituri die Festo tuam Missam, quæ sit ibi unica, & tu nondum perveneris ad oblationem, Laym. & alii putant, posse interrumpere, & iterum inchoare; sed negat Tambur. quia non est tanta hæc necessitas, cum nec illi tunc teneantur ad audiendam integram Missam.

§. III.

Quo die, sive designetur, sive non designetur, sive designetur quotidie?

OBLIGATUR quandoque Sacerdos, legato, stipendio, voto, &c. ad unam, vel plures Missas; sed aliquando die, vel tempore designato, aliquando non, aliquando quotidie. Qua in re

Quæres primo, An possit Sacerdos anticipate sacrificare pro obligatione jam contracta celebrandi v. g. 15. Missas singulis mensibus?

Respondeo cum Lugo, Pelliz. n. 129. Bonac. & aliis affirmative, regulariter loquendo; quia anticipata solutio non præjudicat, sed prodest creditori: si ergo hoc mense celebret 30. Missas, potest toto sequenti vacare, aut celebrare pro alio, inquit Lugo. Dixi *Regulariter loquendo*; nam non potest, si mens obligantis intendit illam distributionem mensuram ob aliquam specialem causam, v. g. ad honorem, ad decorem suæ Capellæ, ob memoriam mensuram Fundatoris, &c. Similiter, in-

quit Pelliz. ex Joan. Lugo, si pro defunctis hujus populi, vel communitatis; siquidem ex ea anticipatione fit, ut, qui moritur altero mense, fraudetur subsidio, cum Fundator intenderit subvenire omnibus successive. Porro, an poterit Sacerdos anticipato stipendio sacrificare pro illo, qui primus offerret stipendium? v. de Missæ stipend. l. supra cit.

Quæres secundo, An tenearis statim ab initio cujusque anni, & sine interpellatione celebrare numerum Missarum, ad quem de licentia Sedis Apostolicæ redactum est onus Missæ quotidianæ, v. g. ad 200. quotannis?

Respondeo, quod, quamvis probabilius ita dicendum, cum legata pia debeantur initio anni ex Tiraquel. Ricc. & aliis; probabile tamen etiam videtur, posse absolvi numerum illum in fine cujuslibet anni; quia talis est usus, & ad suffragia plures, & plures anni solent assignari, ideoque similes moræ tacite concedi solent: Pelliz. num. 74.

Quæres tertio, An, & quando teneatur celebrare Sacerdos tres illas Missas, quæ ei injunguntur ab Episcopo ordinante?

Respondeo, Ex Rit. Rom. Episcopum ita loqui Sacerdotibus, dum ordinantur: *Post primam vestram Missam tres alias Missas, scilicet, unam de Spiritu Sancto, aliam de B. M. tertiam de fidelibus defunctis dicite, & etiam pro me orate.* Hinc peccant omittendo; venialiter tamen secundum Sotum, Val. & alios contra Suarez, Azor, Lessius, & alios, quia imperative injunguntur ab Episcopo, qui sub veniali obligare potest ad materiam gravem; & quamvis posset sub mortali, tamen, cum hactenus Episcopi non declaraverint, benignius interpretandi sunt. Cæterum, cum de Jure communi non sit determinatum tempus, quo debeant celebrari, diu differri possunt; nec dicendæ sunt diebus impeditis: denique nec præscribitur, ut applicent pro intentione Episcopi, sed tantum, ut pro eo orent; ideoque applicari possunt aliis, etiam cum stipendio: v. Croix de Ordin. n. 2318.

Quæres quarto, An celebrans aliis, quam designatis diebus, satisfaciat?

Respon-

Respondeo cum distinctione: si designati sint dies propter specialem cultum, seu devotionem, puta Feria sexta ob Domini Passionem, Sabbatum ob B. V. non satisfacit, si celebret Feria 5. aut Dominica sequenti; satisfacit vero, si designati sint propter fructum missæ, quia tunc servatur saltem quoad substantiam mens designantis; & parva illa variatio temporis, cum non sit in præjudicium, ad summum erit veniale, & ex rationabili causa nullum Tambur. l. 3. Miss. c. 3. §. 3. addens n. 2. etiam in priori casu vix illa modicam varietatem posse accedere ad mortale, nisi designatio diei esset in commoditatem audientium, qui proinde die Festo Missam non possent audire.

CAPUT V.

De cæteris Requisitis ad Sacrificium, & de Ritu in eo servando.

§. I.

De cæteris Requisitis ad Sacrificium.

PRÆTER dicta Superioribus capitibus requiritur juxta communem, & probabiliorem sententiam, teste Croix n. 318. tantum sub veniali Crux cum Crucifixo, & probabiliter in necessitate sufficit sola Crux: Croix cit. Unde inferunt Vasq. Gob. Pasp. Spor. melius esse etiam ex sola devotione celebrare sine omni Cruce, quam Missam ex Crucis defectu omittere. Sufficit autem Crucifixus etiam depictus vel pro Icone Altaris, vel in Tabernaculo. Si Venerabile sit expositum, non opus esse Cruce, docent multi apud Croix n. 321. sed aliqui referunt hanc declarationem S. Congr. 14. Maji 1707. *Quando super Altare expositum est Venerabile debet etiam in eo collocari crux cum imagine Crucifixi.*

Secundo Mappa ex lino, vel cannabe, vel gossipio, & quidem triplex, ex Missali; at sufficere duas docent Henr. Suarez, Layman. Bonac. Gob. & alii plures contra Gavant. & Jordan. sic habet usus, & pro tertia servit Corporale. Una tamen longa potest servire pro pluribus, si duplicetur, vel triplicetur saltem quoad illam

partem, in qua est lapis consecratus, vel si totum altare sit consecratum, ubi reponitur Calix cum Patena: Croix ex Pasq. n. 324. Non est omnino necessarium, ut sit benedicta: quare in necessitate adhiberi potest vulgaris, & deinde aliis usibus reddi: Busemb. Laym. Sylv. Azor. Suarez, Tann. Tambur. Spor. Sine necessitate celebrare sine ulla mappa est mortale; in gravi autem necessitate nullum est peccatum: Croix n. 325. ex Pasq.

Tertio, Vestes sacræ, nimirum Amictus, Alba, Cingulum, Stola, Manipulus, & Casula: Item Corporale lineum, saltem in ea parte, qua debet tangere Hostiam, & Calicem, & Palla item linea saltem ex ea parte Superiore, & Corporale in extremitatibus possunt esse ex auro, aut serico elaborata: Palla deficiente potest ejus loco adhiberi aliud Corporale, vel Purificatorium, vel Bursa: Croix num. 332. Item Purificatorium, sine quo tamen celebrare, quando facile haberi non potest, non esse mortale dicit Gob. & cum non requirat benedictionem, potest adhiberi strophium mundum non applicandum deinde usibus profanis, & abluendum in prima lotionem à persona sacra, hoc est saltem ab habente primam tonsuram, ut dicunt Pasq. & Suarez, ap. Croix n. 331. quod valet etiam de corporalibus. Color paramentorum non est præcepti, sed directionis: Busemb. Homob. Dian. Suarez. Averf. Quart. At juxta Gob. apud Croix n. 340. mortale esset, si in Paschate celebraretur in nigris. Color autem aureus, sive croceus æquivalet omni coloribus: ita Quarti.

Prædicta indumenta, & ornamenta debent esse benedicta vel ab Episcopo, vel à Sacerdote habente privilegium, ut habent Superiores Mendicantium pro suis tantum Ecclesiis, non pro extraneis, ut habet Averfa apud Croix num. 353. ex quibusdam declarationibus S. Congreg. Tambur. tamen apud Croix citat. docet, Superiores Ordinum mendicantium adhuc posse etiam pro extraneis, ubi est usus, & Sporer testatur, Superiores sui Ordinis Seraphici bona fide id passim facere: sæpius etiam id factum per Rectores Societatis testatur Croix citat. qui addit, hoc ipsum absolute docere Tambur. Pasq. & Gob. Nomine autem Rectoris venit etiam Rector Seminarii habens sub se personas Societatis. Amittunt autem benedictionem, quando ita franguntur, aut lacerantur, ut non sint amplius apta
ad

ad usum, ad quem sunt benedicta: Avers. Gob. ap. Croix n. 356., ut si anterior pars casulæ à posteriori separetur, vel si ex alba detrahatur manica, etiamsi alia alluatur: excipit Aversa, nisi ab initio ita essent aptatæ manicæ, ut funiculis possint alligari, & solvi, quia tunc se haberet, ut Calix habens juncturam tornatilem inter cuppam, & pedem, qui certe non amittit consecrationem per hoc, quod cuppa separetur à pede.

Grave sacrilegium est celebrare sine vestibus sacris, hoc est benedictis: Vasq. Navar. Suar. Con. Bon. Bufemb., Pal. p. 10. n. 8., ita ut, regulariter loquendo, nec in gravi necessitate liceat, & in earum defectu cesset obligatio vel audiendi, vel celebrandi Missam. Laym. tamen, & Dian. docent in gravi necessitate licitum esse celebrare sine Stola, vel Manipulo, vel uti cingulo non benedicto, vel si fractum sit, rursus connectere. Item, si Parochus nullam haberet albam benedictam, posset die festivo celebrare in non benedicta: Gob. apud Croix n. 328. & secundum Pasq. apud eund. num. 325. est tantum veniale non adhibere amictum in illis, qui non ad caput tegendum, sed tantum in humeris ferunt, est tamen mortale nullum adhibere corporale: aut non benedictum, nisi excuset gravis necessitas. Idem Suar. Sa, Azor. apud Pal. cit. docent, posse Sacerdotem uti Stola pro Manipulo, vel Manipulo pro Stola, si habeat longitudinem sufficientem ad tegendos humeros, quia videntur plus, minusve esse ejusdem formæ, quæ est essentia harum vestium: quæ, si duplices sint, ex parte nimirum interiori, & exteriori, singulæ remanent benedictæ, si separentur. Si paramenta non sint enormiter immunda, erit tantum veniale in illis celebrare: etiamsi esset ipsum corporale: March.; imo adhibere vestes, & paramenta non munda, quando munda haberi non possunt, non est peccatum: Suar. Gob. apud Croix num. 336. Detritæ non sunt applicandæ usibus profanis, sed vel exurendæ, vel è majoribus faciendæ minores, ut è stola manipuli, ex albis amictus, quæ in tali casu probabiliter ex Gob. ap. Croix num. 357. indigent nova benedictione: quamvis ex eodem Auctore probabile sit etiam oppositum. Vestibus autem sacris uti ad comediam vix vacat culpa mortali: Suar. Gob. apud Croix num. 337. At non est prohibitum, tales vestes conficere ex profanis, e. g. planetam ex veste muliebri: Suar. Pal. Tamb. Demum probabi-

lius excusatur à peccato Sacerdos celebrans sine vestibus sacris ex metu mortis, dummodo absit contemptus Fidei, vel Religionis: Azor. Vasq. Val. Bec. Bonac. Dian. Pasq. Gob. Requies. Spor. apud Croix n. 330. contra Cajet. Nugn. Suar. Pal. Fill. putantes, id esse intrinsece malum. Notat tamen Averf. casum vix habere locum in praxi, quia vix aberit contemptus Fidei, vel Religionis, qui certe est intrinsece malus.

Quarto sub mortali etiam requiritur Calix, & Patena consecrata ab Episcopo, vel aliis habentibus talem facultatem, ut habent Abbates Pontificalia exercentes, etiam Regulares; sin minus de jure communi, saltem vel ex privilegio, ut innuit Averf., vel ex consuetudine, ut habent Zabar. Mend. Less. apud Croix n. 354. & quidem etiam pro extraneis Ecclesiis, ut ait Averf. apud Croix n. 353. ex Tamb. Bordon. Gavant. dicentibus, non fuisse per declarationes S. Congr. revocata hanc facultatem pro Ecclesiis extraneis, quoad vasa Sacra, quamvis revocata fuerit, quoad Sacra indumenta. Putant aliqui cum Dian. & Pasq. apud Croix num. 352. vasa, & paramenta sacra per usum etiam mala fide factum in Sacrificio consecrari, & benedici substantialiter, ita ut alius iis utens non peccet: sed melius contradicunt Lug. Dicast. Tamb. & alii: vid. Croix l. c. Materia tum Calicis saltem quoad cuppam, tum Patenae debet esse aurum, vel argentum; at potest esse stannum urgente paupertate: v. Croix à num. 345. Notat Gob. apud eund. num. 346. Theologos in magna paupertate nec repudiare plumbeum: & Fug. admittit etiam ex aere, vel auricalco, dummodo cuppa sit inaurata. Si Calix in cuppa sit argenteus, vel etiam stanneus, ne sub veniali quidem requirunt in ejus parte interiori inaurationem Tamb. Gob. Spor. & alii communiter, teste Croix l. c. quamvis Rubrica praescribat: unde licitum est celebrare in Calice, & Patena argenteis ex diuturno usu jam deauratis, seu in quibus aurum jam est corrosum; nec enim in tali casu consecrationem amittunt, quam unice amittunt, quando non sunt amplius apta ad usum, cui sunt destinata: unde, si denuo inaurantur, probabiliter non indigent nova consecratione, cum sit idem Calix, & eadem Patena: Pyxis vero, & Sphaera, seu lunula tangens immediate Sacramentum non sunt consecrandae: Gav. Pasq. apud Croix num. 348., imo probabiliter neque de necessitate benedicendae: Sylv. Sot. Vasq.

Vasq. Bonac. Pasq. & alii multi cum Spor. valde tamen conveniens est, ut benedicantur, ut fert etiam usus: possuntque benedicere etiam Superiores Mendicantium, ut & cætera paramenta, in quibus non adhibenda est sacri chrisimatis unctio: Laym. apud Croix num. 348.

Quinto, Missale, Lumen, & Minister inserviens: Missale sub gravi peccato requiritur Canonem saltem continens, ex Bonac. & aliis communiter ap. Busemb. non est tamen necesse, ut sit benedictum, & in necessitate sufficit Missa descripta in charta: Tambur. Gob. vel quod Sacerdos dicat ex memoria: Layman. Gob. Spor. contra Tann. Qui visu careat ad legendum, si videat sufficienter Hostiam, & Calicem, ita ut absit periculum amittendi particulas, vel irreverenter tractandi Sacramentum potest dicere Missam, quam scit memoriter: ad vitandum tamen scandalum debet omnia peragere cum Missali, ac si legeret: Croix n. 364. ex Gob. Candela accensa debet esse duplex, & cerea, & quidem sub mortali juxta Fag. Regin. Vasq. & alios contra Nugnum, & Marchinum: in necessitate tamen sufficit una etiam ex febo, vel lucerna, aut lampas ex oleo: Dian. Layman. Azor. Sine omni lumine nunquam licet celebrare secundum Lug.; ita ut extingueretur ante consecrationem, & aliud haberi non posset, Missa esset relinquenda, etiam si dandum esset Viaticum moribundo, juxta Fag. & Quintanad.; quamvis contradicant Leand. Gob. & Spor. apud Croix n. 393. qui probabile esse dicit ex Pasq. in gravi necessitate licitum esse celebrare sine lumine, quia hoc requiritur ex præcepto Ecclesiæ, à quo excusat gravis necessitas. Demum Minister inserviens Sacerdoti, & quidem masculus etiam sub mortali requiritur juxta Navar. Fag. & Zenob. Verum, si adsit gravis necessitas vel Missæ audiendæ die Festo, vel viatici dandi juxta Suar. Lug. Con. Sylv. Averf. Sa, Bonac. Dian., imo juxta aliquos apud Henao, teste Croix num. 385., etiam si alias multis diebus ferialibus deberet Sacerdos omittere Sacrificium, potest celebrare sine Ministro, & sibi ipsi respondere, ut etiam tempore pestis ad vitandum periculum contagionis, si celebrando debeat se alere: Croix num. 286. ex Pasq. qui cum Gob. aliisque communius apud Croix num. 388. dicit, melius esse sine Ministro celebrare, quam permittere, ut femina ministraret

fret ad Altare, in quo gravem culpam agnoscunt contra Sylv. & Nugn., putantes, peccari tantum venialiter. Dixi *Ad Altare*, nam possunt licite moniales respondere Celebranti è Choro, ut passim fit, aliis ministrantibus ad Altare. Filii ante ordinationem patris legitime nati possunt patriam ordinato ministrare: secus vero illegitimi, nisi essent occulti, quia tunc cessat indecentia: Croix n. 389. ex Pasq.

Velum Calicis, manutergium, pulvinar pro libro, candelabra, antependium, bursa pro corporali requiruntur ob decentiam tantum, nec indigent benedictione: quare si aliquid ex his desit, potest ex profanis congruenter mundis accipi, & deinde suis usibus reddi.

Denique Sacerdos debet celebrare calceatus, ex Rubr. non esset tamen mortale nudis pedibus celebrare: Bonac. Avers. contra Sylv., imo nec veniale, urgente necessitate, vel rationabili causa, Pasq. Gob. Spor. ap. Croix num. 390. qui addit, sufficere crepidas. Item debet esse capite nudus, *cap. Nullus Episcopus, de Consecr. dist. 1.* Ledesm. tamen putat, non esse mortale legere tecto capite, quod admittunt Dian. & Spor. aliqua causa subsistente; Sylv. autem dicit, ex rationabili causa esse licitum: at plures Doctores ad celebrandum tecto capite, etiam solum usque ad consecrationem, requirunt licentiam Episcopi, vel Prælati, quam licentiam alii dicunt non posse dare, nisi Papam, v. Croix num. 400.

§. II.

De Ritu servando in sacrificio.

RITUS in Missæ celebratione servandus præscribitur in Rubricis Missalis Romani, quæ sunt quædam ordinationes, vel directiones Ecclesiæ, secundum quas aliqua sunt agenda. Notandum tamen hic, S. Pium V. permisisse aliquos ritus peculiare in aliqua Ecclesia particulari, quos per ducentos saltem annos observare consueverat; iisdemque Ecclesiis permisit, ut de consensu Prælati, ac totius Capituli possunt amplecti Ritus Missalis Romani. Has rubricas convenienter adhiberi, de Fide tenendum est ex Suar., cum pertineant ad

ad religiosum cultum, & reverentiam tanti Sacramenti, & Apostolorum traditioni sint conformes, in Trid. *sess.* 22. c. 5. An autem dictæ Rubricæ obligent sub gravi, variant Doctores, Azor. Suar. Bonac. & alii apud Dian. p. 1. tr. 14. ref. 55. docent, obligare sub gravi: nisi parvitas materiæ excuset, probantque ex eo, quod Pius V. in Constitutione initio Missalis apposita omnibus, & singulis præcipiat *In virtute S. Obedientiæ, ut Missam juxta ritum, modum, ac normam, quæ per Missale hoc à nobis nunc traditur, decantent, ac legant.* At Tambur. Lug. Gav. & alii distinguunt duplex genus rubricarum, præceptivarum alterum, alterum directivarum. Præceptivas dicunt illas, quæ continent aliquid, quod ex jure, vel legitima consuetudine graviter jubetur, ut sunt ordinationes Ecclesiæ de jejuniis servando ante celebrationem Missæ, de integritate Sacrificii, de loco, ara, vasibus, vestibus sacris, de materia Sacramenti, ut de azymo in Ecclesia Latina, & generaliter omnes Rubricas circa aliquod requisitum ad valorem Sacramenti. Directivas dicunt reliquas, de quibus non constat apud Doctores, quod graviter præcipiantur: quare sine onere peccati mortalis dicunt præscribi, ut ante, & post Missam oretur, ut recitetur certus numerus Orationum, &c., dummodo in omissione hujusmodi Rubricarum absit scandalum, & gravis contemptus observationis Rubricæ, quia levis est, seu contemptus levitatis cæremoniæ, quem venialem culpam dicunt Sot. Laym. Tamb. Gobat. apud Croix num. 411.; sed qualis esset contemptus Potestatis Ecclesiasticæ, vel Papæ, vel alterius Superioris hoc disponentis, qui semper continet culpam gravem: Croix ib.

Quæres primo, An, & quale peccatum sit omittere aliquam partem Missæ?

Respondeo primo, Dictum esse tom. 1. tr. 2. d. 1. q. 4. c. 5. §. 1. quomodo peccetur per omissionem hujus, vel illius partis in Missa audienda ex obligatione, quæ multo magis valent de omissione partis in Missa legenda. Aliqua tamen sunt hic addenda: quare

Respondeo secundo: Partes Missæ dividi in ordinarias, & non ordinarias. Ordinariæ sunt, quæ semper dicuntur, ut Confessio, Oratio, Epistola, Evangelium, Præfatio, Canon, *Pater noster*, *Agnus Dei*: non ordinariæ sunt, quæ non semper dicuntur, ut *Gloria*, Orationes
secun-

secundariæ, pluralitas epistolarum, *Credo*, diversitas præfationum, vel quorundam intra Canonem. Jam vero omittere partem ordinariam per se loquendo est mortale, nisi excuset parvitas materiæ, vel si non sit ritus ob speciale mysterium notabilis: econtra veniale tantum est omittere unam ex partibus non ordinariis. Hinc sequitur, esse mortale omittere Epistolam, Evangelium, aut partem notabilem Canonis, oblationem Hostiæ, vel Calicis, & ex Suar. & Gob. apud Croix num. 419. fractionem Hostiæ, aut illius cum calice mixturem, aut signa multa, quæ fieri debent super oblata: item *Pater noster*, vel *Agnus Dei*, ex Pasq. apud Croix cit. qui in hoc illum damnat nimii rigoris, vel omittere partem notabilem eorum, quæ sunt propria Missæ solemnis, licet non cantetur ex obligatione: Pasq. apud Croix num. 425. & ex Franc. Lug. omittere omnia, quæ cantantur à Choro, & Ministris, quamvis Card. Lug. & Averf. putent, hoc esse veniale; imo Tambur. Pelliz. Quarti nullum, si Sacerdos attendat ad ea omnia, dum canuntur. Contra vero non nisi veniale est omittere *Gloria*, vel *Credo*, vel *Lauda Sion*, vel *Victimæ paschali*, vel *Veni Sancte Spiritus*, vel *Dies iræ*: imo ex Quarti, & Pasq. apud Croix num. 420. veniale est: & rationabili causa nullum juxta Pasq. etiam multas partes hujusmodi non ordinarias omittere, quamvis facerent magnam quantitatem, v. g. in 4. temporibus omittere omnia *Plectamus genua*, cum omnibus secundariis orationibus secretis, & postcommunibus, & cum secundariis epistolis. Item veniale est omittere specialem præfationem, vel in Canone speciale *Communicantes*, vel *Hanc igitur*, dummodo legantur ordinaria, seu communia. Veniale pariter est omittere aliquas benedictiones, cruces, deosculationes altaris, inclinationes, genuflexiones, dummodo non conflent partem notabilem Missæ; vel ea nimis celeriter facere: item omittere Evangelium S. Joannis, vel aliud legendum post Missam, quia in rigore non est pars Missæ, ex qua ratione veniale ad summum est (quamvis juxta Lohn. ap. Croix num. 413. nullum) omittere lotionem manuum ante Missam, & Orationes inter induendum dicendas, juxta communem sententiam, teste Croix n. 415. contra Navar. Azor. Gav. putantes, esse mortale.

Quæres secundo, An, & quale peccatum sit addere, commutare, vel invertere aliquid in Missa?

Respon-

Respondeo primo, Mortale esse addere notabiliter multum ad Missam: Spor. apud Croix n. 429. addere tamen unam collectam vix erit peccatum secundum Pasq. & Gob. ibid.; facile enim non excusat aliqua causa, aut devotio. Dicere *Gloria*, vel *Credo*, quando est omittendum, est veniale: Suar. Gob. ib. Excipit Aversa, nisi fieret cum magna deformitate, ut si alterutrum diceretur in Missa de *Requie*. Non est peccatum sub longo cantu ad *Gloria*, vel *Credo* orare vocaliter, seu recitare parvas horas memoriter; quod à fortiori valet de Diacono, & Subdiacono in Missa solemni: Cajet. Tan. Gob. apud Croix num. 430. contra Tamb. Lohn. putantes, esse veniale in Celebrante. Similiter nullum peccatum est intermiscere etiam cum aliqua interruptione meditationem, seu considerationem circa ea, quæ in Missa geruntur, quia non deest continuatio moralis, quando mens manet applicata Missæ: Nav. Quarti, Croix num. 431.

Respondeo secundo, esse peccaminosam juxta quantitatem materiæ voluntariam mutationem precum in alias preces non approbatas ab Ecclesia; ita ut in materia notabili sit mortale: veniale vero tantum esse, si mutatio fiat in alias Preces approbatas in Missali, ut esset mutatio unius Epistolæ in aliam, &c. nisi afferat magnam deformitatem, ut si Evangelium Paschatis conjungeretur cum Epistola Defunctorum, aut alio simili modo: Croix num. 432. Mutatio in verba synonyma est culpa venialis, nisi materia sit notabilis; tunc enim erit mortalis juxta Pasq. apud Croix num. 433. In Canone vero quælibet mutatio, ut etiam omissio mutans sensum, est culpa gravis: levis vero, si non mutat sensum, etiamsi plura verba omitantur, e. g. plura nomina Sanctorum: Fill. Dian. Avert. apud Croix num. 418. Quod si verba in Canone sint detrita, nec sciuntur memoriter, & non nisi post longum tempus haberi posset aliud Missale, omittens excusatur: Pasq. Verric. apud Croix ib. Si quis loco Episcopi nominandi in Canone nominet Generalem sui Ordinis, Dian. p. 2. t. 14. ref. 4. dicit à Papa & à S. Congreg. damnari mortalis: sed Rodr. Bordon. Tamb. Spor. apud Croix num. 463. dicunt, non constare de tali declaratione, adeoque non esse mortale, nisi fiat animo inducendi novum ritum, vel in contemptum Episcopi. Mutare imperfecte actiones, e. g. breviorum Crucem facere, vel inclinare os ad altare, & non formare osculum est veniale juxta Suar. & Quarti.

Quarti, contradicente Pasq. qui nullum in eo peccatum agnoscit.

Respondeo tertio, Inversionem partium ejusdem rationis esse culpam venialem tantum, ut recitare unam Orationem, vel unam Epistolam ante aliam, quando plures sunt dicendæ; si vero partēs sint dissimiles, ex proposito eas invertere erit mortale, ut legere Evangelium aut Epistolam; in his enim est magna deformitas.

Quæres tertio, Quænam expressio verborum requiritur in Missa?

Respondeo, non sufficere solam expressionem mentalem, sed requiri sub gravi vocalem, & talem, ut absolute loquendo, & secluso omni impedimento, sit audibilis: oratio enim vocalis, ut distincta à mentali, debet habere sonum: omnis autem sonus est audibilis, cum sit objectum auditus: quare, si quis notabilem partem verborum Missæ ita formaret intra labia, & dentes, ut, secluso omni impedimento se ipsum audire non posset, peccaret mortaliter: Croix num. 438. ex communiore sententia contra Azor. Tamb. Caram. Quar. & alios apud Dian. p. 2. tr. 12. ref. 9. putantes, sufficere, quod verba formentur per motum oris, & linguæ; sic enim, inquit, oratio non est pure mentalis; ergo vocalis: quam sententiam Gob. videtur admittere ut probabilem; notantque Nav. & Fill. posse servire scrupulosis. Legere submisse, que alte dicenda sunt, veniale esse, docet Sanch. in *Consi.* l. 7. c. 2. dub. 8. num. 6. cum aliis, & Tamb. ex Lugo dicit; id passim fieri à timoratis: probabilius vero nullum esse peccatum dicit Pasq., si celebrans ita alte exprimat verba, ut hæc excedant terminos orationis secretæ, v. Croix num. 430. Recitare alte partem notabilem eorum, quæ submisse dicenda sunt, damnant mortalis Gav. Quart. Pasq. ap. Croix num. 440. Communiter tamen Doctores dicunt, esse veniale ita alte proferre verba consecrationis, ut audiantur ad sex, vel octo passus; mortale vero, si audiantur ad 40. passus. Mutilare ob nimiam accelerationem ultimas syllabas, vel ob syncopen intermedias, salvo sensu, & significatione, & secluso scandalo, est veniale tantum, & si fiat ex defectu naturali, nullum erit peccatum: Quart. Pasq. ap. Croix n. 442.

Quæres quarto: An, & quale peccatum sit voluntaria distractio in legenda Missa?

Respon-

Respondeo, Distractionem, quamvis longam extra Canonem, & Sumptionem, esse tantum venialem culpam: Tamb. *de Sacram.* l. 2. c. 3. num. 8.; diuturnam vero sub Canone esse mortalem; saltem ob periculum committendi in eo errores: Tamb. Gob. apud Croix num. 443. cui sententiæ videntur non adhærere: Dian. & Bard. apud Croix num. 443. Idem dicit Tamb. *ibid.* de distractione voluntaria sub Communione, sed Gob. merito dubitat de tanto rigore, qui certe non admittitur in laico communicante. Probabile tamen est, quamcunque internam distractionem etiam sub consecratione, vel Communione fore culpam venialem, cum probabile sit ex dictis tom. 1. tr. 2. d. 1. q. 2. c. 1. §. 3. quæst. 7. quod attentio interna opposita distractioni non præcipiatur sub gravi, & quod essentia Orationis de se, & objective religiosæ sufficienter constituatur per attentionem externam, & illam attentionem internam, quæ implicite continetur in intentione orandi virtualiter perseverante: v. Croix loc. cit.

DISPUTATIO V.

QUÆSTIO UNICA.

De Sacramento extremæ Unctionis.

Hoc Sacramentum à Christo Domino institutum, à B. Jacobo Apostolo 5. 14. promulgatum est his verbis: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio Fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.* Quæ verba innunt Materiam, & Formam, Ministrum, Subiectum, & Effectum hujus Sacramenti, de quibus hic nobis agendum.

CAPUT I.

De Materia, & Forma Extremæ Unctionis.

MATERIA hujus Sacramenti alia est remota, alia proxima. Materia remota est oleum olivarum: Doctores communissime ex text. cit. Hinc opinio illorum, *R. P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III.* N qui

qui dicunt, sufficere etiam Chrisma, non est practice probabilis, ex proposito. i. damnata ab Innoc. XI. alibi cit. si tamen deesset oleum, liceret uti Chrismate in casu necessitatis; at si postea haberi possit oleum, aut si per errorem inunxeris Chrismate, repetendum est Sacramentum sub conditione: Illf. ex D. Carol. Borr. & aliis contra Laym.: idemque est, si per errorem usus fueris Oleo Catechumenorum: Croix n. 2090. ex Sanch. Colon.

Quæres primo, An oleum debeat esse benedictum?

Respondeo affirmative, ex D. Th. & aliis communissime: hinc non est practice probabilis opinio dicentium apud Avers., benedictionem olei non pertinere ad valorem hujus Sacramenti: quia exponeretur Sacramentum periculo nullitatis extra necessitatem: addit tamen Avers., non exponi; si fiat aliqua benedictio ordinata ad effectum hujus Sacramenti, quamvis non servetur illa, quæ in Pontificali præscribitur: v. Croix n. 2091.

Quæres secundo, A quo sit benedicens hoc oleum?

Respondeo, Ab Episcopo saltem pro Ecclesia latina, qui nec potest alteri committere, cum sit actus ordinis: at pro Ecclesia græca certum est, benedici à Presbyteris græcis, ut constat ex Const. Clem. XIII. die 31. Augusti. 1595. Hinc, quamvis D. Th. Bell. & alii communissime dicant, ex præcepto Christi requiri benedictionem Episcopi, tamen multi docent, eam posse à Papa committi etiam simplici Sacerdoti; quæ sententia est ad summum speculative probabilis: v. Croix num. 2092. Cæterum Episcopus quotannis in Cœna Domini benedicit novum oleum, ex quo accipere debent Parochi, & Regulares, veteri exusto; si tamen novum haberi non possit, licet uti antiquo: Laym.

Quæres tertio, An liceat cum oleo sancto miscere aliud non benedictum?

Respondeo, Si illud non sufficiat, posse in necessitate addi aliud non benedictum; in minore tamen quantitate, quam sit illud; Doctores communiter, quia major pars trahit ad se minorem. Cæterum, si oleo benedicto per decursum anni successive addatur non benedictum, & hujus quantitas, spectatis omnibus ejus partibus, superet illius quantitatem, multi dicunt, amitti benedictionem, sed Carden. apud Croix num. 2093. responsum habuit à S. Congr. 23. Sepr. 1682. licere; & consequenter tum ex sententia Doctorum, tum ex praxi plurium

plurium Ecclesiarum, tum ex Rit. Roman. esse practice certum, non amitti benedictionem, dummodo pars, quæ successive additur, semper minor sit quantitate præsupposita, ut de aqua benedicta docent communiter.

Materia proxima hujus Sacramenti est Unctio. quæ esse debet certarum partium corporis infirmi. Et quidem Græci unguunt frontem, mentum, ambas genas, pectus, manus ex utraque parte, & pedes: latini vero quinque sensus, oculos, aures, nares, os, manus, item pedes, & renes, ex Flor. *post. sess. ult. in Decr. Eug. IV. ad Armen*, apud Croix l. 6. p. 2. n. 2087., atque hæ unctio-nes moraliter continuari debent, ita ut, si quadrante horæ distet una ab altera, Nugn. & Averf. putent, Sacramentum fore nullum; &, si Sacerdos post unam deficiat, licet multi putent, alterum debere pergere, tamen Mærat. putat, repetendam sub conditione, cum non sit certum, eam sic cum reliquis conjungi: v. Croix n. 2008.

Cæterum pedes, aut renes inungere non est essentielle; imo quoad renes non est decens in feminis, ideoque omittendum ex Rit. Rom.; item in viris Religiosis omitti solere, inquit Busemb. ex Henr. Sa, Tol. Suar. Bellar.; sed Rit. Roman. tantum dicit in viris omitti, quando sine periculo moribundi adhiberi nequit: Multi apud Averf. putant, de valore non esse. ut ungetur ullus sensus, satisque esse ungi aliam partem corporis; item aliqui apud Dicast. putant, opus non esse explicite, & directe significari ullum sensum in particulari, sed neutrum est practice probabile extra necessitatem. Denique D. Thom. & alii putant, hoc Sacramentum non existere, nec ullam causare gratiam ante ultimam unctio- nem; sed valde probabiliter Suarez, & alii multi tenent, singulorum sensuum unctio- nem causare suam specialem gratiam: ut singuli ordines sunt Sacramentum inadæquatum Ordinis: Croix 2104.

Quæres quarto, Quomodo fieri debeat unctio?

Respondeo, Fieri debere pollice Sacerdotis proferentis formam; & quidem unctio oculorum incipit ab oculo dextero, & similiter ab aure dextera, manu, pede, &c. nec tota forma est enuncianda, priusquam uterque oculus ungetur; satis est autem, unctio- nem fieri in palpebra, in labiis, &c.; item ex Rit. Roman. manus exterius unguuntur Presbyteris, reliquis interioribus: pedes autem unguuntur in planta; quia hac præcipue

ambulamus: Croix n. 2117. Cæterum non est de valore, ut ungetur uterque oculus, utraque auris, &c. sed satis est ungi unum ex illis organis: item nec est de valore, ut dicto ordine ungantur, aut in formam crucis. Qui tamen aliquid horum negligeret, peccaret etiam graviter pro qualitate transgressionis. Nota demum, quod, quamvis Suarez, & Fill. dicant, ad valorem non sufficere allini una gutta olei, uti nec ad baptismum una gutta aquæ; tamen rectius contradicunt Averf. & alii, quia ibi adhuc diceris ungere, hic non diceris ablueri non fluente aqua: v. Croix n. 2094.

Quæres quinto, Quomodo fieri possit unctio in casibus periculosis?

Respondeo: Primo, Si periculum sit, ne infirmus decedat, antequam fiant omnes Unctiones, cito ungantur sensus, puta unus oculus, auris, &c. dicendo, *Per istas Sanctas Unctiones, &c. quidquid per visum, auditum, &c. deliquisti, amen;* si deinde supervivat, repetantur unctiones singulorum sensuum, & addantur orationes prætermissæ: si vero, dum inungitur, decedat, ultra non procedatur; si vero dubitetur, an vivat, pergendum sub conditione *Si vivis, &c.* Croix n. 2121. ex Rit. Roman. Secundo, In periculo pestis, & simili necessitate nonnulli putant, sufficere unum tantum organum magis obvium, vel potius caput, in quo sensus maxime vigent, inungere, dicendo, *Per istam, &c. quidquid per visum, auditum, &c. quam sententiam Layman. dicit non omnino improbabilem: Tanner. probabilem omnino, & in praxi usitatam; Dian. in praxi tutam; sed communius dicendum, ut in priori casu: vide Busemb. Tertio, Si ungendæ sint partes corporis peste infecti, potes ungere mediante virga oblonga oleo tincta, quam postea comburas: Quarto, si sensus sint mutilati, ungendæ sunt partes viciniore: ita Busemb. & alii.*

Quod autem attinet ad formam Extremæ Unctionis, illa est: *Per istam Sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per (nominando organum sensus) deliquisti, amen,* ut in Rit. Roman. Itaque per talem formam necessario significari debet: Primo, Actio ungenti: Doctores communiter apud Averf. Secundo, Modus deprecatorius: Doctores communius, & probabilius post
D. Thom.

post D. Thom. ex verbis D. Jacob. *Orent ungentes*, con-
Alb. M. Ricc. Bec. putantes, sufficere modum indicati-
vum, *Ungo te in indulgentiam peccatorum, &c.* Si autem
dicatur *Ungo te, ut Deus tibi indulgeat, &c.* Suarez,
Laym. Dian. & alii contra Bonac. & alios dicunt vale-
re, cum maneat sensus deprecatorius: Tertio, Depre-
catio pro remissione peccati commissi per sensum inun-
ctum; quamvis enim Bosc. putet, non opus esse expri-
mere peccatum, sive *Quidquid deliquisti*, tamen non est
practice probabile: v. Croix n. 2095. Item si dixeris
dereliquisti, pro *deliquisti*, iterari debet: Gob. Croix
n. 2097. Cæterum, si omittas ly *Sanctam*, etfi peccas,
valet; quia Flor. & Trident. hanc vocem non addunt:
si omittas *Et suam piissimam Misericordiam*: vel nomen
sensus, qui inungitur, etiam peccas graviter, & Nugn.
cum Bellarm. & aliis communiter dicunt, non valere,
quamvis alii cum Dian. putent. valere, cum sit mutatio
accidentalis notabilis: si omittas *amen*, veniale est:
v. Croix l. 6. p. 1. n. 43. Denique extra necessitatem
omittere reliquas preces in Rit. præscriptas mortale non
est; supplendæ tamen, si dein sit tempus: ita Busemb.

C A P U T II.

De Ministro Extremæ Unctionis.

Est solus Sacerdos *ex verb. cit. S. Jacob.* Licet
ergo Waldensis putaverit, posse inferiorem cleri-
cum, aut etiam laicum in necessitate ministrare; tamen
omnes alii pro certo docent, id fieri valide non posse,
neque ex dispensatione Papæ, quod probat saltem pra-
xis Ecclesiæ, quæ nunquam dispensat: v. Croix n. 2099.
Cæterum, quamvis græci adhibeant septem, aut saltem
tres Presbyteros, eo quod in text. cit. dicitur *Presby-
teros*; tamen practice certum est, sufficere unum; &
quamvis adessent plures, tamen est abusus apud Græ-
cos, quod singuli ungant partem, repetita toties forma:
v. Croix n. 2100.

Quæres primo, An Minister hujus Sacramenti debeat
esse Sacerdos proprius, seu Pastor?

Respondeo affirmative, ex *Sacr. Can.* Hinc, si sine ejus
licentia, & extra necessitatem alius Sacerdos ministret,
validum quidem est, sed graviter peccat: Sylv. Sot.

Con. & alii: & Sacerdos Religiosus incurrit excommunicationem Papalem: Suarez Regin. & alii; possunt tamen Regulares ex licentia suorum Superiorum illud ministrare suis familiaribus, etiam secularibus, ex Constitutione Clem. X. Cæterum in necessitate, si Pastor abfit, vel dare nolit, licite ministrat quivis Sacerdos non excommunicatus, aut suspensus; etiam si sit Regularis, ut contra Gav. docent Henr. Præp. Gran. Dian. & alii communiter; censetur enim tunc Papa dare licentiam; imo etiam excommunicatus, aut suspensus, si non sit alius, inquit Suarez, quia infirmi necessitas excusat.

Quæres secundo, An possit hoc Sacramentum ministrare Sacerdos sine alio Ministro?

Respondeo affirmative in necessitate; tunc enim nec adhibenda est femina, quod si tamen fiat, veniale esse, docet Quintan. apud Busemb. ubi etiam addit, non esse mortale, si in necessitate fiat sine lumine, superpelliceo, vel stola; & Dian. excusat ab omni peccato, si infirmus non sit capax alterius Sacramenti, & ista haberi non possint, contra Suarez, Regin. & alios.

Quæres tertio, An teneatur Sacerdos sub mortali hoc Sacramentum ministrare?

Respondeo affirmative, Si sit Sacerdos proprius, & petatur ab infirmo; quia in re gravi non præstat id, ad quod tenetur ex iustitia. Dixi primo, si sit *Proprius*; nam, si sit alius Sacerdos, tenetur tantum ex charitate, & quidem sub veniali tantum: nisi vero ægrotus valde indigeret, v. g. si alioqui sine omnibus Sacramentis esset moriturus; tunc enim quidam graviores obligationem agnoscere videntur: vide Dian. p. 8. tr. 1. ref. 170. Dixi secundo, Si petatur ab infirmo; quia tunc maxime tenetur ex officio, quod in se sumpsit, & jure petentis; ideoque etiam est mortale, si differat cum probabili periculo: si autem non petatur, etiam tenetur sub gravi, si æger non possit recipere aliud Sacramentum; imo etiam, si receperit tantum Pœnitentiam & non Eucharistiam; quamvis enim tunc non sit extrema, est tamen etiam gravis necessitas; in qua etiam tenetur subito subvenire Parochus: v. Croix l. 3. p. 1. num. 755. Hinc tempore pestis, tenetur Parochus sub mortali ministrare per se, vel per alium
iis,

his, qui petunt, modo possit absque periculo vitæ; cum eo enim non teneri, saltem si sint confessi, docent Tan. Dian. p. 5. t. 3. r. 93. & alii: si autem non possint aliud Sacramentum recipere, tenetur etiam cum periculo vitæ, ex Croix n. 2112. & aliis.

Quæres quarto, An in necessitate possint pures simul Sacerdotes hoc Sacramentum ministrare?

Respondeo affirmative, ita tamen, ut unus unam, alius aliam partem corporis inungat, pronunciando tantum formam illi unctioni respondentem; non tamen potest unus unum oculum, alter alterum: v. Dian. p. 9. t. 7. r. 56. Item, si unus Sacerdos non possit progredi, supplenda erunt per alium, quæ restant: Tann. Præp. & alii; notat tamen Dian. p. 5. tr. 3. r. 87. licere tunc etiam repetere unctiones ab initio, perinde ac si prior nullam earum inchoasset: v. Buf.

CAPUT III.

De Subjecto Extremæ Unctionis.

SOLUS periculose infirmus est subjectum hujus Sacramenti; adeo, ut incapax sit quivis alius, qui non est ob infirmitatem in mortis periculo: Suarez, Pal. Gran. & alii communiter ex verbis cit. & traditione Ecclesiæ, Hinc, quamvis plures Græci putent, etiam non ægros esse capaces ob immaturam mortem, quæ sæpe contingit; tamen latini omnes negant cum D. Th. & Arcud. dicit, id esse merum eorum abusum: quod autem fertur de S. Hedwige ante morbum petente Extremam Unctionem, fuit extraordinarium ex instinctu Divino & quod de SS. Viris hoc oleo ungentibus frontes Energumenum, vel etiam loca affecta hominis non ægri, non fuit factum per modum Sacramenti: vide Croix l. 6. p. 2. n. 2101. Denique, quamvis Less. Quintan. & alii probabile putent, valide etiam conferri hoc Sacramentum infirmo non gravi, tamen addunt illicite, & reiterandum, quando periculose laborare cœperit: v. Dian. p. 9. t. 6. ref. 65.

Quæres primo, Quid veniat hic nomine periculose infirmi?

Respondeo, Venire illum dumtaxat, qui ob ægritudinem ortam ex morbo, vulnere, partu, vel senectute,

N 4.

est

est morti propinquus: Suar., & alii communiter. Quandocunque ergo quis æger censetur periculose laborare cœpisse, ungendus est; neque expectandum, donec sensibus careat, vel omnino sit desperatus; expectare enim sensuum defectum esse mortale, docet Quintan. t. 5. f. 6.; ideoque in dubio de periculo inungi potest sub conditione: Laym., & alii. Hinc ungendus est etiam senex deficiens per extinctionem caloris; quia senectus ipsa morbus est: Rit. Roman., item puerpera, si fœtus sit extrahendus, vel mors ei ob specialem rationem timeatur in hoc partu: Nav., Sylv., & alii: item qui est in mortis periculo, eo quod sisti nequeat sanguis per nares effluens: Croix num. 2108. Contra vero inungi non potest reus decapitandus, vel suspendendus, nec qui initurus est prælium, vel periculosam navigationem, aut quid simile, quia hi non dicuntur infirmi. Cæterum reus, qui sumpto veneno expectat mortem, est inungendus; quia venenum reddit eum periculose infirmum: Averf., & alii: item reum rotæ affixum, etsi non teneatur Parochus inungere, cum non sit consuetudo, tamen potest, si ille ferventer petat, quia periculose infirmatur ex divulsione membrorum: Lohn., Gob., & alii. Si autem alicui abscinditur pes, vel manus, Quintan., & Gob. putant, inungendum, quia timeri potest, ne deficiat, sed probabilius negat Lohn., quia experientia docet, ordinarie non deficere: secus etiam qui secatur pro calculo, vel ruptura, esset inungendus.

Quæres secundo, An quis periculose infirmus inungi possit?

Respondeo affirmative, Dummodo sit baptizatus, capax peccati, ne constet velle decedere in peccato: Doctores communiter. Hinc inungi potest etiam ille æger, qui in articulo mortis baptizatur; &, quamvis Sylv., Suar., Henr., & alii dicant sub conditione, si post baptismum peccaverit, tamen Averf., Rayn., & alii cum Croix num. 2111. dicunt etiam absolute, quia hoc Sacramentum non est tantum institutum ad tollenda peccata, eorumque pœnam; verum etiam principaliter, ne æger in agone tentationibus succumbat: similiter, quamvis inungi nequeant pueri ante usum rationis, nec perpetuo amentes, qui illis æquiparantur, nec surdus, mutus, & cœcus, qui nunquam habuit usum rationis, cum nec peccarint, nec

nec peccare possint; tamen inungi possunt pueri omnes septennium vix ingressi, nec expectanda est ætas communioni præfinita, ut contra Sot. docent communiter; & in dubio, an puer, vel quivis alius æger unquam usus sit ratione, inungi debet sub conditione: item si in confessione noveris puerum, vel quemvis alium, nunquam actualiter peccasse. ut contra Nugn. docet Suar.

Similiter, quamvis inungi nequeat æger, quem constat velle decedere in peccato; tamen inungendus est etiam delirans, phreneticus, furiosus, amens. si habuerit aliquando usum rationis, ebrius deficiens, vulneratus in duello, &c.; quia ad hoc Sacramentum, uti etiam ad Pœnitentiam, Confirmationem, & Eucharistiam, ex dictis sufficit etiam in adultis intentio interpretativa, & quivis Christianus, etsi nec petierit, nec ullo signo tunc utatur, vult Ecclesiæ Sacramentis juvari debito tempore, voluntate saltem interpretativa, qua scilicet petiturus esset, si cogitaret, de qua D. Aug. l. de Adult. Conjug. c. ult. ait: *Multo satius est nolenti dare, quam volenti negare, ubi velit, an nolit, non apparet: attamen credibilius est eum, si posset, velle se potius dicturum fuisse.* Hinc, quamvis Sot., & alii cum D. Th. dicant, non esse inungendum furiosum, aut amentem, nisi in lucido intervallo, tamen non esse id expectandum, docent communiter ex Rit. Rom., modo absit periculum irreverentiæ: imo ligandum esse, vel fortiter tenendum phreneticum, si unctiōni resistat, docent graves Doctores apud Dian., & Barb. dicentes, esse necessarium, si is non potest aliud Sacramentum suscipere.

Quæres tertio, An periculose infirmus teneatur sub mortali hoc Sacramentum suscipere?

Respondeo affirmative, Si Pœnitentiam, & Eucharistiam non susceperit; si vero susceperit, D. Th., Averf., Rayn., & alii communiter docent, non esse gravem obligationem illud suscipiendi; affirmant vero Sot., Tur. Syn. autem Col. vult, ut nolens suscipere careat Ecclesiastica sepultura: Illi. concludit, quod, quamvis non constet præceptum suscipiendi, tamen vix potest omitti si ne veniali ob aliquam saltem negligentiam; ideoque etiam venialiter peccant domestici, si id ei non procurent. Si autem adlit scandalum, vel contemptus, certe est mortale; notat tamen Tann., non cenferi contemnere,

qui sciens omittit tempore apto, & oblata commoditate; quamvis contradicat Tol.; præsertim si probabiliter deinceps non sit futura commoditas. v. Buf. & Croix num. 2113.

CAPUT IV.

De Effectibus Extremæ-Unctionis.

P R I M U S, & principalis effectus est roborare animam contra dæmonis tentationes in morte, ex verbis illis, *Alleviabit eum Dominus; & Trid. sess. 14. c. 2. Ægroti animam alleviat, & confirmat, &c.* Secundarii effectus sunt, Primo, *Delere reliquias peccatorum*, ex Trid. cit., per quas multi apud Averf. putant, intelligi sola venialia; sed improbabiliter, inquit Bellar., cum S. Jacob. dicat, *Si in peccatis sit*, simpliciter; & forma ait, *Quidquid deliquisti*; ideoque dicendum cum D. Th., & aliis communiter, intelligi etiam mortalia inculpabiliter non remissa per priora Sacramenta, vel commissa post illa, si nunc ignorentur; quamvis ergo hoc sit Sacramentum vivorum, certum tamen moraliter est, esse posse per accidens in hoc casu etiam mortuorum: Secundo, *Remittere pœnas restantes*, quæ etiam dicuntur reliquæ peccatorum: Tertio demum, *Aliquando etiam sanitatem corporis conferre, si expediat*: D. Th. & alii.

Infers primo, Si sciatur, quod æger nunquam actualiter peccasset, Suar., Henr., Con., & alii multi apud Croix n. 2102. contra Nugn., Sylv., Sanch., Arriag. docent, quod posset inungi, quia fines hujus Sacramenti sunt alii præter ablationem peccati, & reliquiarum ejus, & ideo diximus, pueros septennium vix ingreffos inungi posse: item in dubio, an puer, vel quicumque alius æger unquam sit usus ratione, ne scilicet tentationibus succumbat, & ut, si ita expedit, sanitati restitatur: Dian., Averf., & alii apud Croix n. 2111. Item dari debet in omni alio dubio, an scilicet sit in mortali, an adlit verum periculum mortis, &c. quia in extrema necessitate præsumendum est in favorem hominis, pro quo instituta sunt Sacramenta: Lohã., & alii ibidem.

Infers secundo, Dari non posse pueris ante usum rationis, nec perpetuo amentibus, qui pueris comparantur;

tur; quia nec peccarunt, nec peccare possunt; ideoque sunt ejus incapaces; nec juvat, quod possit eis sanitatem conferre, quia hic effectus non est absolutus, sed conditionatus, si scilicet expedit; & effectus Sacramenti debet esse absolutus. Putarunt multi apud Dicastil. . B. V. suscepisse Extremam-Unctionem, quia satis est, quod quis potuit peccare, quod libertate utatur, & capax sit spiritualis auxilii ad tentationes diaboli in agone vitandas. Sed hi supponere debent, eam ex infirmitate aliqua decessisse; ideoque merito cum aliis contradicit Illi. ap. Croix 2102.

Infers tertio, Hoc Sacramentum esse iterabile ex Trid. c. 3., quia nec imprimit characterem, & potest ægritudo periculosa redire. Hinc D. Th., & alii apud Croix n. 2103. docent, si in eadem infirmitate diu durante v. g. hydropisi, pthisi, &c. notabiliter varietur morbi status, ita, ut æger evadat è periculo proximo mortis, quamvis non è morbo, & relabatur in tale periculum, posse Sacramentum reiterari: iteratum autem in eodem morbo, & periculo est irritum: Avers., & alii apud eundem.

Infers quarto, Quod, quamvis Rit. Rom. dicat, ex generali Ecclesiæ consuetudine observandum esse, & forte sit obligatio (sub veniali tantum inquit Aversa) ut, si tempus, & infirmi conditio permittit, Pœnitentia, & Eucharistia ante Unctionem suscipiatur; tamen de hoc nullum est præceptum, & exempla multa de suscepto post Unctionem Viatico refert Rayn., & saltem, si infirmus aliquo tempore supervivat, & iterum petat Viaticum, debet eo refici, & quoties voluerit, est pro confessione audiendus, & absolvendus: v. Croix num. 2120.

Rogabis, An Parocho timenti, ne noctu vocetur ad ægrum, liceat retinere domi Sacrum Oleum, ut vocatus possit venire expeditius?

Respondeo, Quintan. non audere excusare à mortali, si semper domi retineret; si autem hic & nunc pro casu particulari, venialem culpam agnoscit Barbof. ex Possev. Arriag. tamen cum Gob. dicit licere, quod intellige, si alias foret periculum, ne forte sero veniret v. Croix num. 2114. Denique Rit. Rom. habet, Vas, in quo asservatur hoc oleum, debere esse argenteum, vel stanneum; item si oleum deportetur ad infirmum, ob effusionis

fionis periculum posse deferri in lana bombycina : Croix
num. 2121.

DISPUTATIO VI. QUÆSTIO UNICA.

De Sacramento Ordinis.

ORDO est Signum sensibile, quo tribuitur Spiritu-
alis Potestas circa Eucharistiam. Et si autem plures nu-
merentur Ordines, unum tamen sunt Sacramentum ob
unum eorum finem, quod est Eucharistiæ Sacrificium.
Ex Trid. autem sunt septem: quatuor scilicet mino-
res, *Officiarius, Lectoratus, Exorcistatus, & Acolythatus*; tres vero Majores, & Sacri, *Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus*; & quidem Presbyteratus dicitur minor, si sit simplex Sacerdotium; dicitur major, si sit Episcopatus essentialiter includens Sacerdotium, cujus est extensio; ita ut nulliter conferatur non Sacerdoti. cum Sacerdotium valide conferatur non Diacono, & Diaconatus non Subdiacono, &c. Archiepiscopatus, Patriarchatus, Primatus, Papatus, non sunt Ordines diversi ab Episcopatu: Cardinalatus est tantum dignitas: item Chorepiscopatus hoc est Vicariatus Episcopi absentis: Prima autem Tonsura est tantum dispositio ad Ordines. Cæterum de fide est, Presbyteratum esse Sacramentum, imprimere characterem, & conferre gratiam, &c. De Diaconatu est communissima sententia contra Durandum: De Subdiaconatu est etiam communior sententia contra Cajetanum: De Ord. min. est communis sententia contra Vasq. Qui ergo indigne confert, vel suscipit Presbyteratum, certissime peccat mortaliter sacrilege: non ita certissime de reliquis: *Lean. apud Tamb. de Ord. Agendum nunc I. De natura Sacramenti Ordinis: II. De Ministro Ordinum: III. De eorum Subjecto: IV. De Circumstantiis Ordinationis: V. Demum de titulo Ordinandorum.*

CAPUT I.

De natura Sacramenti Ordinis.

AD dignoscendam naturam Sacramenti Ordinis, videnda est I. Eorum Materia: II. Forma: III. Inter-

tentio : IV. Munera, & Onera : V. Pœnæ male Ordinati : VI. Pœnæ male Ordinantis.

§. I.

Quæ sit Materia cujuscunque Ordinis ?

I. **P**RIMA Tonsura (*Quæ est deputatio ad obsequium Ecclesiæ*) cum non sit ordo, habet tantum quasi materiam, capillos abscissos ab Episcopo. Dixi *Quasi*, quia valide quis etiam deputaretur ad illud obsequium, si quocunque alio modo ad id addiceretur ab Episcopo: March. ap. Tamb. Est igitur Tonsura disponens ad Ordines, non secus ac habitus ad Religiosum statum; dum ergo Clericatus dicitur ordo, sensus est, quod sit nota, per quam quis ex ordine laicorum evehitur ad ordinem, seu statum Clericorum; ergo nec imprimit characterem, nec per se confert gratiam.

II. Ostiariatus (*Per quem datur potestas claudendi, aperiendi, & custodiendi Ecclesiam*) habet materiam remotam claves Ecclesiæ, proximam earum traditionem. Illis autem aperire, & claudere, uti etiam traditio campanulæ, &c., sunt cæremoniæ.

III. Lectoratus (*Quo conceditur potestas legendi Prophetias, & Scripturas in Ecclesia*) habet materiam remotam, librum continentem sacras lectiones, id est, Epistolas, & Prophetias; proximam, ejusdem libri traditionem.

IV. Exorcistatus (*Quo datur Potestas fugandi demones ab energumenis*) habet materiam remotam, librum Exorcismorum; proximam, ejusdem libri traditionem.

V. Acolythatus (*Quo datur Potestas accendendi lumina, & porrigendi Subdiacono urceolos*) habet materiam remotam, candelabrum cum cereo extincto, & urceolos vacuos; proximam, eorundem traditionem. Avers. aliique docent, utramque materiam remotam requiri essentialiter ad hunc ordinem: Angel. & alii affirmant, sufficere priorem: D. Th. & alii, posteriorem: utriusque probabiliter apud Tamb. & sane speculative loquendo: practice tamen utraque est adhibenda.

VI. Subdiaconatus (*Quo datur Potestas assistendi Celebranti, eique ministrandi Calicem cum Vino, & Patenam cum Hostia, ac legendi Epistolas in Missa*) habet materiam remotam Calicem cum Patena, sine Vino, & Hostia, & librum Epistolarum; proximam eorum traditionem.

Vsq.

Vasq. & alii docent tanquam commune, & certum, sufficere priorem materiam remotam: Averf. Med. & alii docent, requiri utramque simul: Sanch. Bonac. & alii communiter docent, sufficere Calicem, & Patenam, etiam non consecrata, vel consecrationem amiserint; negant Sylv. Pal. Dicast. & alii. Sylv. putat, sufficere Calicem sine Patena, velecontra; negant Marchin. Lean. aliique. Practice autem tutior sententia est sequenda; & si aliter fiat, peccatur, & ordinatio sub conditione est reiteranda: v. Croix.

VII. Diaconatus (*Quo datur Potestas proxime ministrandi Celebranti, legendique Evangelium in Missa*) habet materiam remotam librum Evangeliorum; proximam ejusdem traditionem: item alteram materiam remotam, manum dexteram Episcopi; proximam ejusdem impositionem super caput ordinandi. Vasq. Sot. Pal. & alii putant, priorem materiam sufficere ad Diaconatum. Marchant. & alii putant, posteriorem. Bellarm. & alii communius docent, requiri essentialiter utramque in Ecclesia Latina; atque id est practice tenendum; & si secus factum fuerit, reiterandum, seu supplendum, quod deerat. Dixi, *In Ecclesia Latina*; Nam in Græca licite, & valide ordinatur Diaconus per solam impositionem manuum. Qua in re nota cum Bellarm., & aliis apud Croix l. 6. p. 2. n. 2135. Christum Dominum determinasse tantum in genere materiam, & formam Ordinum, volendo fieri per signa, & verba repræsentantia potestatem conferendam; & reliquisse ulteriorem determinationem auctoritati Ecclesiæ; quæ proinde pro Græcis determinavit solam impositionem manuum cum sua forma: pro Latinis saltem posterioribus temporibus etiam traditionem libri Evangeliorum, &c. Hinc. si Græci ordinarentur per traditionem libri, & Latini per solam impositionem manuum, quamvis Suar. & alii putent, valide ordinari: tamen Arriag. & alii probabilius negant; quia ista signa per legem, & consuetudinem contrariam respective ad diversas particulares Ecclesias amiserunt vim significandi potestatem, quæ confertur: quod, si universalis Ecclesia decerneret, ut ubique promiscue usurparetur hoc, vel illud signum, aut etiam aliud tertium; Amic. & alii putant, fore materiam sufficientem; Dur., & alii dicunt, Ecclesiam nunc adultam non posse amplius mutare: utrumque est incertum, etiam prius probabilius: v. Croix l. 6. p. 1. n. 16.

VIII. Presbyteratus (Quo datur Potestas conficiendi Christi Corpus, & Sanguinem, & remittendi fidelibus peccata) habet materiam remotam etiam duplicem in Ecclesia Latina; alteram scilicet Calicem cum Vino, Patenamque cum Hostia, quorum traditio est materia proxima; alteram (quæ sola est apud Græcos) impositionem manuum Episcopi super caput Presbyterandi, quæ impositio apud Latinos fit etiam dupliciter, tum scilicet ante traditionem Calicis, &c. nihil proferendo; tum post eam traditionem, proferendo *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* Itaque in Ecclesia Græca per solam impositionem manuum accipitur complete Sacerdotium, hoc est duplex ejus potestas, tum in Corpus Christi verum, tum in Corpus ejus mysticum: at in Ecclesia Latina per traditionem Calicis, &c. accipitur prior potestas; per impositionem manuum posterior potestas; si ergo latinus ordinetur per solam traditionem, supplenda deinde est impositio; si ordinetur per solam impositionem, tota ordinatio iteranda est; quia in priori casu est inadæquate Sacerdos, secus in casu posteriori, cum potestas in Corpus mysticum essentialiter supponat potestatem in Corpus Christi verum, non e converso.

Si autem Presbyteratus collatus sit apud Latinos sine prima impositione manuum, D. Th. & alii communiter docent, esse validum, quia hæc censetur cæremonia tantum accidentaliter, cum nec habeat formam verborum specialem, & simul fiat etiam per Sacerdotes assistentes ordinationi; quæ sententia communiter etiam dicitur moraliter certa. D. Bonav. docet, per primam impositionem imprimi characterem, imo in ea sola videtur constituere materiam Presbyteratus; quam sententiam etsi Tann. vocet falsam, improbabilem, & erroneam; tamen March. vocat talem censuram parum molestam; nisi vero tantum censuret exclusionem traditionis Calicis, ideoque putat utramque impositionem manuum essentialiter, quod Bosco dicit, defendi posse cum aliqua probabilitate, & Arriag. non audet improbabilitatis arguere, & Averf. pro hac sententia citat. Sot., Becan., & Arcud, unde Croix l. 6. p. 2. n. 2145. cum aliis tribus Doctoribus concludit, licite repeti sub conditione ejusmodi ordinationem factam sine prima impositione manuum: plura vide ibidem: de differentia autem Ecclesiæ Græcæ à Latina vide supra n. antecedenti, quæ omnia etiam hic militent.

Deni-

Denique nota: Si Calix, & Patena, quæ traduntur pro Sacerdotio, non sint consecrata, vel sint execrata. Ledef. Sot. & alii communiter putant, Sacerdotium fore validum, quod Tambur. putat moraliter certum, addens etiam fore validum, si panis, & vinum immediate traderentur: sed probabiliter contradicunt Sylv. Forn. Dicast. apud Croix n. 2150. idque in praxi tenendum. Si tradatur solus Calix cum Patena, vel loco vini fuerit aqua tantum in Calice, vel defuerit panis, Less. Henr. Dian. & alii putant, Sacerdotium fore validum; quia traditio Calicis cum Patena sufficienter verificat formam: Sed Gob. & alii dicunt, ordinationem sub conditione repetendam, cum merito dubium sit de valore: Croix n. 2151.

IX. Episcopatus (*Quo datur Potestas Confirmandi, & Ordinandi*) habet materiam remotam Baculum Pastorem, Annulum, & librum Evangeliorum; proximam vero eorundem traditionem: item impositionem manuum Papæ, vel Episcopi cum assistentia aliorum duorum Episcoporum, aut duorum Sacerdotum ex dispensatione Sedis Apostolicæ. Si autem Papa dispensarit etiam tali Sacerdotum assistentiæ, quamvis Dicast. putet, fieri posse, tamen non est certum; & minus certum, si fiat absque tali dispensatione; ideoque sub conditione repetendum: Croix n. 2147.

Quæres primo, An ad valorem ordinationis requiratur contactus physicus?

Respondeo affirmative cum communi post D. Thom. contra Henr. Valsq. Reginal. quia sic verificatur forma, *Accipe, &c.* ideoque requiritur, ut, & Episcopus ipse immediate tangat tradens, & ordinandus immediate tangat accipiens instrumenta, &c. Hinc, utut probabilis sit sententia opposita, non tamen practice; secus enim reiterari debet ordinatio sub conditione. Addit tamen Croix l. 6. p. 2. n. 2157. ex Gob. & aliis, certo valere ordinationem Sacerdotis, si Episcopus imponat manus tactas Chirotecis, tum quia moraliter, & in communi æstimatione ille dicitur tangere aliquem; tum quia Græci imponunt manus interjecto pallio; tum quia in Pontificali Episcopus tunc jubetur chirothecas deponere, cum debet inungere; ideoque etiam Pal. ibid. pro certo tenet valere, si ordinandus tangat Calicem medio aliquo panno, velo, &c. Addit secundo num. 2155. quod si ordinan-

ordinandus una tantum manu, vel uno tantum digito tangat, certo valet, quia simpliciter dicitur tangere; imo etiam si solo ungue, inquit Lugo; contactus autem utraque manu est ex præcepto ad scrupulum tollendum: Fill. & alii; contra vero, si Episcopus in secunda impositione unicum tantum manum imponat; nam Pontificale Rom. utramque expresse requirit, & Doctores contra Platel. supponunt esse necessariam; nec obstat, Græcos unicum tantum manum imponere, quia ab illis ad Latinos non valet argumentatio: Croix n. 2156.

Quæres secundo, An ad valorem ordinationis requiratur contactus physicus, & realis cujusvis materiæ?

Respondeo, Primo. Certo valere ordinationem, si Presbyterandus tangat Calicem, & Patenam, sed non Hostiam; tum quia Pont. Rom. assignans necessaria tantum dicit de *Cuppa Calicis, & Patena*; tum quia sicut tacto Calice censetur tangi Vinum, ita, &c., ideoque hunc non debere reordinari sub conditione dicit Sanch. & alii contra Bernal. & Fabr.; ex præcepto autem ad tollendum scrupulum tangitur & hostia; quamvis Leand. ap. Tambur. non putet sub mortali: Croix num. 2152. Secundo, Si tangas Calicem, & Hostiam, non autem Patenam; Tambur. dicit, moraliter certum, esse validam; & Vasq. Con. Bon. Pal. & alii communiter dicunt, esse certum; & Gob. addit, oppositum carere probabilitate; quia tactus Patenæ est propter Hostiam; & Patena adhibetur tantum ad decentiam, &c. Contradiscunt aliqui apud Croix, qui ideo concludit num. 2153. valde consultum, Ordinationem sub conditione iterandam. Tertio, Si tangas solum Calicem, cui Patena cum Hostia est superposita, Præp. Bosc. & alii dicunt, certam esse ordinationem, quia per modum unius traditur illud aggregatum. Sed Dian. Pal. & alii negant, esse certum; ideoque Dicast. dicit in praxi reordinandum sub conditione; & ita tenendum: Croix n. 2154.

§. II.

Quæ sit forma Ordinationis?

I. **F**ORMA Oſtiariatus ſunt illa Episcopi verba: *Sic age, quasi rationem, &c.* II. Forma Lectoratus, *R. P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III. O Ac-*

Accipe, Et esto, &c. III. Forma Exorcistatus, *Accipe, Et Commenda, &c.* IV. Forma Acolythatus, *Accipe Ceroferarium, &c.* V. Forma Subdiaconatus ex verbis illis monitoriis componitur, *Videte, cujus ministerium, &c.* in traditione Calicis; in traditione vero libri, &c. *Accipe librum, &c.* VI. Forma Diaconatus, *Accipe potestatem, &c.* in traditione libri Evangeliorum; in impositione vero manuum, *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* VII. Forma Presbyteratus, *Accipe potestatem offerendi, &c.* in traditione Calicis, &c. in ultima vero impositione manuum, *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* VIII. Forma Episcopatus, *Accipe potestatem, &c.* in impositione manuum; & in traditione baculi, annuli, &c. *Accipe, &c.*

Quæres primo, An forma Ordinationis debeat esse necessario verbalis, & immutabilis?

Respondeo, Ad valorem requiri necessario formam verbalem ore prolatam: quia id pertinet ad substantiam omnium Sacramentorum, excepto matrimonio, ex traditione Ecclesiæ. v. Croix l. 6. p. 1. à n. 9. ubi additur, quod, quamvis in quinque primis Sacramentis verba formæ determinata sint à Christo Domino ad speciem, tamen in ordine determinata sunt tantum ad genus, ad speciem vero ab Ecclesia; qua posita quævis mutatio substantialis (non autem accidentalis) invalidat ordinationem. Hinc Latinus valide ordinatur per formam græce prolatam (etfi invalide per materiam græcam, quæ sit sola manuum impositio) Croix n. 15. Econtra, si loco formæ vocalis substituatur scriptio, nutus, aliæve signa, invalida est ordinatio, &c. Croix à n. 37.

Quæres secundo, An valida sit ordinatio, si forma proferatur ante, vel post materiam proximam?

Respondeo affirmative, si paulo ante, vel paulo post proferatur; quia, si distantia est valde exigua, adhuc verum moraliter est, quod, dum Episcopus profert formam, fiat traditio, tactus, impositio, &c. Secus vero dicendum, si distantia sit talis, ut in communi æstimatione non censeatur moraliter. Addit Lugo. *Respon. Moral.* l. 1. d. 3. eum, qui non tetigit Calicem, & Patenam, dum actu proferebatur forma, sed modo dicto paulo post, posse quidem ad majorem sui animi quietem sub conditione reordinari, sed non esse necessarium.

Notat

Notat hic Croix ex Bardi, & Gob. raro esse prudens dubium de valore suscepti ordinis: & speciatim quoad illos, qui postea scrupulose timent, ne forte non bene, ne nimis cito, vel nimis sero tetigerit; eo quod non sciant, nec possint recordari, aut imaginari, an, quando, & quorsum ista fuerint? Nam ista omnia non sunt prudentia motiva dubitandi, cum non teneamur, nec possimus recordari omnium, quæ agimus, aut egimus. Hoc ergo ipso, quod tu e. g. sciveris, quid faciendum esset, & quidem sub mortali; suppone, te fecisse, quando non scis, te non fecisse.

Notat insuper n. 2158. Quoties Sacerdos tenetur rebaptizari ob certitudinem, probabilitatem, aut dubium de nullitate baptismi, toties etiam tenetur reordinari ordine Presbyteratus, si velit in eo ministrare, ob periculum irreverentiæ Sacramento, & salutis fidelium. Dixi primo, *Si velit*, quia, si nolit, non potest cogi ad reordinationem, modo certum fuerit, non fuisse antea baptizatum: potest vero cogi, si tantum probabile, vel dubium fuerit; quia sic Ecclesia potest præsumere fuisse baptizatum, adeoque valide ordinatum. Dixi secundo, *Ordine Presbyteratus*: quia, si probabile tantum, vel dubium erat, non fuisse baptizatum, satis erit hæc tantum ordinatio, quia probabile est, reliquos ordines intermedios fuisse validos, nec dicta pericula aderunt, quamvis essent invalidi; at, si certum erat, non fuisse valide baptizatum, deberent omnia reiterari, cum certo non fuerint valida: Gob. ib.

Notat demum Tamb. c. 5. in fine, iterationem, quæ ob dictos, aut similes casus est sub conditione exhibenda, fieri posse quolibet anni tempore, à quocunque Episcopo, etiam in Oratorio privato, absque cæteris cæremoniis, sed supplendo solum id, in quo est dubium. Ratio est, quia solemnitates, cæteraque requisita sunt instituta pro ordinatione absoluta, non pro conditionata; sic enim non est ordinationem celebrare, sed quod imperfecte præstitum est, supplere: secus vero, si prior ordinatio fuerit certo invalida. Si autem unus Episcopus conferret potestatem consecrandi, & deinde eo deficiente alter Episcopus conferret potestatem absolvendi, valeret ordinatio, quia sunt duæ potestates distinctæ materiis, & formis: ita Croix. l. 6. p. 1. n. 33.

§. III.

Quæ Intentio sit requisita ad Ordinationem?

CERTUM est I. Ad valorem Ordinationis non sufficere in Ordinante intentionem interpretativam, nec habitualement, sed requiri formalem, vel saltem virtualement ex dictis in Tract. de Sacramentis in genere q. 3. c. 1. Certum II. Neque ex parte Ordinantis sufficere intentionem indirectam ex ibid. dictis q. 2. c. 2. Hic quoad Ordinandum

Quæres primo, Quænam intentio requiratur ex parte Ordinandi ad valorem ordinationis?

Respondeo, Si fit infans, vel amens à nativitate, sufficere intentionem interpretativam: Si fit adultus, sufficere intentionem saltem habitualement. Ratio primæ partis est, quia ordo collatus infanti est validus, ut certo docent Doctores contra Durand. ex *c. un. de Cler. per salt. promot.*; In eo autem nulla esse potuit intentio præter interpretativam; quivis enim ordo ei collatus nullum fert onus absolute, sed erit ei liberum, cum ad usum rationis pervenerit, eligere statum, quem volet: ideoque bonum absolute confert absque malo; & consequenter in eo infante est voluntas interpretativa illius. Ratio secundæ partis est, quia, cum ordo in adulto fit immutatio status, afferatque ei gravia onera absolute, & aliunde non sit necessarius ad salutem, ideo non sufficit intentio interpretativa: sufficit autem habitualis, quia suscipiens Ordinem non est Minister agens, sed subjectum veluti patiens; ideoque non requirit indispensablem intentionem actualem, vel virtualement; requirit tamen saltem habitualement, utpote qui non est subjectum pure physicum, & mortuo modo, sed voluntarium, cum debeat admittere onera Ordinum; ideoque merito requiritur aliquis ejus consensus, vel formalis, vel virtualis, vel saltem habitualis: Croix n. 175.

Hinc, quamvis in suscipiente non sufficiat consensus pure indirectus (ut si quis velit somnum, prævidens in eo ordinandum) eo quod talis consensus potest stare cum directa nolitione Ordinis; tamen valeret talis ordinatio, si cum volitione dormiendi adfuisset etiam voluntas ordinationis prævisæ, ex cap. *Majores, de Bapt. Simi.*

Similiter valet Ordinatio collata phrenetico, ebrio, amenti, &c. licet tum dicat, se nolle; si, quando erat rationis compos, eam voluit, nec voluntatem hanc retractavit; quia ea revocatio non est actus humanus, ideoque prior voluntas permanet habitualiter. Similiter, si quis ratione utens ore tantum renuat, corde tamen consentiat in ordinationem, valide ordinatur; quia in fuscipiente Sacramenta (excepta Pœnitentia, & Matrimonio) non requiritur signum externum interni consensus: vide Croix num. 169. Denique addit Gob. Contra Con. ap. Croix n. 173. validum fore Presbyteratum illius, qui admisit Parochiam volens eam retinere, si postea in somno ordinetur Presbyter, quia, etsi non habuit voluntatem explicitam Presbyteratus, at habuit implicitam in voluntate Parochiæ retinendæ. Ex dictis infer, non sufficere intentionem pure indirectam: sufficere tamen probabiliter etiam implicitam.

Quæres secundo, An præter intentionem fuscipiendi Subdiaconatum requiratur ad ejus valorem intentio, seu votum etiam Castitatis?

Respondeo negative, Nam, si quis ordinatus sit in Subdiaconum ante rationis usum, non requiritur ne interpretativa quidem ejusmodi intentio; cum nec deinde obligetur ad castitatem, nec subeat impedimentum dirimens matrimonium, nisi libere velit manere in statu Sacro, qua electione posita obligabitur: Doctores communiter. Si autem ordinetur adultus, valide etiam ordinatur, etiam si ejusmodi intentionem, seu votum expresse non habeat; imo, etiam si expresse nolit votum emittere; quia intentio fuscipiendi Subdiaconatum est distincta ab intentione servandi castitatem, & hæc non jure Divino, sed tantum Ecclesiastico, est Sacris Ordinibus adnexa: Doctores communiter ap. Croix n. 2190. Cæterum, si adultus, sive ignorans, sive non advertens ad tale votum, intendit fuscipere Subdiaconatum, jam implicite vovet castitatem, quia implicite vult onera adnexa. Si vero sciens positive nolit vovere, etsi valide, sacrilege tamen fuscipit Subdiaconatum, utpote inobediens præcepto Ecclesiæ præcipientis tale votum ex motivo Religionis, & ex eodem motivo prohibentis ei quemcunque actum contra castitatem; ideoque is semper tenebitur emittere tale votum; & si nunquam velit, quivis ejus actus contra castitatem adhuc erit sacrilegus,

crilegus, & si ineat matrimonium, adhuc erit irritum. An autem talis obligatio fit immediate ex præcepto, an ex voto, an ex utroque simul, disputant Doctores. Vide Croix num. 2191. Unum hinc infero, quod Pontifex, qui in suscipiendis Sacris Ordinibus votum castitatis sive implicite, sive explicite emiserat, si matrimonium contraheret, non solum peccaret graviter ratione scandali, ut innuimus suo loco in Tract. de Legibus d. 2. q. 3. c. 1. sed etiam graviter peccaret contra votum, in quo nequit secum dispensare, cum hujusmodi dispensationis esse omnino non possit causa legitima.

Quæres tertio, Qua animi dispositione accedere quis debet ad statum Ecclesiasticum?

Respondeo, Si tonsuram suscipias tantum, ut subterfugas iudicium sæculare, secundum Barb. Bann. Arag. Led. Marchin. Pasq. peccas mortaliter, quia Trident. *sess. 23. c. 4.* prohibet, talem initiari. At secundum Nav. Sanch. Laym. Pal. non peccas mortaliter, quia Trid. non utitur verbis præceptivis, & quia, quamdiu vis servire Deo, potes gaudere juribus servorum Dei: peccas igitur tantum venialiter: Si cum animo non perseverandi, secundum Averf. tantum venialiter, quia, quamdiu vis servire Deo, potes gaudere, &c. Si cum animo experiendi, seu faciendi postea, quod magis expedire videbitur, nullatenus peccas ex Averf. quivis enim uti potest sua libertate ad eligendum statum. Si ingrediaris Religionem sine animo manendi, decipis in re gravi Religionem, quæ merito invita est ad illos sumptus, & molestias, & ad patefacienda sua secreta. Si initiaris ob beneficium, tanquam finem principalem, & primarium, secundum March. peccas mortaliter, sed intellige, si ob talem finem vis legem Dei graviter negligere, ut eo lucro potiaris. Tamb. Si sine causa uxorem duxeris; secundum Azor. non peccas; secundum Sanch. communiter peccas saltem venialiter.

Quæres quarto, An valeat ordinatio facta ex metu gravi injuste incusso?

Respondeo affirmative; Sive ordinans, sive ordinandus sive uterque sit metum passus; modo habuerint intentionem requisitam ad ordinationem; quæ erit voluntaria simpliciter et si secundum quid involuntaria; cum
nulla-

nulla sit, nec esse possit lex humana irritans talem ordinationem. An autem adultus per ejusmodi metum inductus ad ordinem majorem teneatur ad Castitatem, ad impedimentum dirimens matrimonium, & ad Horas? Affirmant D. Antonin. Sot. Pal. & alii, quia adest voluntarium, quantum sufficit ad votum, &c. nec adest jus positivum illud irritans. Negant Sanch. & alii plusquam 20. apud Croix n. 2163, quia Deus non acceptat tale votum, neque Ecclesia censetur velle obligare sic inductum. Distinguit Perez, & negat, si is positive nolit vovere, ad quod nec tunc obligatur ab Ecclesia, nec cogi potest à metu, cum sit actus mere internus; affirmat vero, si expresse, vel saltem implicite vovit.

§. IV.

Quæ sint munera, & onera Ordinatorum?

MUNUS, seu officium tonsurati est canere in Ecclesia, ideoque etiam vocatur Psalmista, & fit capax beneficii & ordinum. Ostiarii munus est claudere, & custodire Ecclesiam, advocare, & admittere dignos excludendo indignos, pulsare campanas (tempore Sacrificii, ex Hurt.) custodire supellectilem sacram, & aperire librum prædicaturo. Lectoris munus est legere Prophetias, & sacras Scripturas, & Evangelium, sed extra Missam; item instruere Catechumenos. Exorcistæ munus est imponere manus super Energumenos, & exorcismos legere. Acolythi munus est præparare lumina ad Sacrificium, ferre cereum ad Evangelium, & Subdiacono, ac Diacono inservire; potestque (ut & cæteri Ministri quovis ordine insigniti) tangere vasa sacra, ubi non sit Eucharistia. Subdiaconi munera sunt ministrare Diacono, & Sacerdoti, Crucem in supplicationibus gestare, Epistolam canere, & abluere Pallas, & Corporalia. Diaconi munera sunt ministrare immediate Sacerdoti, legere in Missa Evangelium, urgente necessitate ministrare Eucharistiam ex præscripto Sacerdotis, prædicare verbum Dei, assistere lotioni Sacrorum, potestque deferre Pyxidem de uno Altari in alterum: Tamb. & alii. Sacerdotis munera sunt sacrificare, absolvere, prædicare, &c. Episcopi demum munera sunt ordinare, consecrare, &c.

II. Onera Tonsurati sunt deferre habitum, & tonsuram, adscribi alicui Ecclesiæ, &c. Si ergo Clericus deferre negligat per tempus notabile, Sot. Bon. & alii putant, peccare mortaliter, quod Vasq. Hurt. & alii communiter dicunt de solis Beneficiatis, aut in Sacris constitutis; quamvis Pal. Cajet. & alii negent universaliter, nisi adfit temeritas contumacia, & contemptus: vide Tamb. Denique ei imponitur à Tonsurante, ut semel recitet septem Psalm. Pœnitentiales cum Litanis, &c. sub gravi putant aliqui, sub consilio tantum putant Navar. Tambur. & alii, sub levi Croix, & alii melius, nec tenetur communicare, dum tonsuratur, quia rubrica id disponens non indicat præceptum, sed consilium: Tambur. Hactenus dicta procedunt pariter de Ordinatis in minoribus, Onera Subdiaconi, præter dicta, sunt duo, servare Castitatem, & recitare Horas Canonicas; sub levi item tenetur semel recitare nocturnum impositum ab Episcopo, nec videtur obligatus communicare in ordinatione, juxta dicta; vestis autem ejus est Manipulus. Onera Diaconi sunt eadem; vestis vero est stola transversa. Onera Sacerdotis sunt pariter eadem, vestis est stola è collo utrinque dependens; item sub levi tenetur ex alibi dictis dicere tres Missas impositas ab Episcopo. Sub gravi autem tenetur communicare in sui ordinatione, quia, ut consecrificans, omnino debet participare de Sacrificio: Quint. & alii. Onus demum Episcopi, propter dicta, est esse in statu perfectionis.

§. V.

Quæ sint pœnæ male Ordinati?

- I. **S**U**S**P**E**N**S**I**O** ab ordine suscepto reservata Papæ, si scienter orderis in Sacris ab Episcopo, qui cum acceptatione Papæ renunciavit Episcopatu, ex cap. *Requisivit, de Ordin. ad Episc. &c.*
- II. Eadem suspensio, si orderis etiam in Minoribus ab Episcopo vitando Excommunicato, Suspenso, Interdicto, Schismatico, Hæretico, ex c. 1. & 2. *de Schism. & Ordin. ab eo.*
- III. Eadem suspensio, sed relaxanda à proprio Episcopo, si culpabiliter orderis etiam in Minoribus ab alieno Episcopo, sine licentia, sine dimissoriis, aut com-

mandatitiis proprii Episcopi, ex Trid. *sess. 23. c. 8. Ref.* Eadem suspensio, sed Papalis, si natus extra suscipias vel primam tonsuram intra Italiam cum dimissoriis proprii Episcopi, sed non subscriptis à Nuntio originis, recognitisque à Vicario Romano, Urb. VIII. *Secret.* 1624. II. Dec.

IV. Eadem suspensio, sed relaxanda à Diocesano, si ordineris in Minoribus à proprio Episcopo: at in aliena Diocesi sine Diocesani licentia: Trid. *sess. 6. c. 2. ref.*

V. Eadem suspensio (præter Excomm. etiam papalem, de qua v. in Tract. de Simonia c. 4.) papalis, si ordineris simoniace, ex Bull. Sixt. V. Item, si excommunicatus ob Clerici percussione ordineris, si sis Clericus secularis; si regularis, absolvi poteris à tuo Superiore, modo factum non fuerit notabile, ex cap. *Illorum, de Sent. Exc.* Item, si in Matrimonio ordineris in Sacris, Extrav., *Antiquæ.* Item, si eodem die plures Ordines Sacros susceperis, ib. Item, si Apostata à Religione ordineris in Sacris, cap. ult. *de Apostat.* Item, si absque dispensatione ordineris extra tempora, ex Bull. Pii II. *Cum, &c.* Item, si ordineris in Sacris absque titulo, ex cap. *Præter, de Sim.*

VI. Eadem suspensio, sed non Papalis, si ordineris per saltum. Item, si ordineris in Sacris cum dimissoriis Capituli intra annum Sedis Vacantis absque coarctatione beneficii; absolvendus enim es à successore ex Trident. *sess. 7. c. 10. de Refor.* Item, si ordineris in Sacris ante legitimam ætatem, ex Bull. Pii II.

VII. Qui ordinatur furtive, est etiam irregularis, ex cap. *Veniens, de eo, qui furtive,* vel si eodem die plures ordines majores suscipiat ex *Eodem cap. ap. Avil. contra Nav. vel minores cum majori, ibid. vel si uxoratus, &c. ex cit. Extr. Antiquæ: v. Tamb. c. 12.* Reliqua satius addemus in Tract. de Censuris.

§. VI.

Quæ sint pænæ male Ordinantis?

I. EPISCOPUS conferens in mortali Sacerdotium certissime sacrilegium grave committit; quamvis non ita sit certum de collatione ordinum inferiorum, juxta jam dicta. Item sit irregularis, si censura aliqua ligatus conferat vel primam tonsuram, cum exerceat proprium actum ordinis Episcopalis.

II. Ordinans per simoniam realem suspenditur à Collatione Ordinum, à Pontificalibus, & ab ingressu Ecclesiæ, ex Bull. Sixt. V. confirmata ab Urb. VIII.

III. Conferens tonsuram infanti cum præsumptione suspenditur ab ea conferenda per annum, ex cap. *Nullus, de Temp. Ordin.*

IV. Injuste ordinans invitum suspenditur, seu potius prohibetur à celebratione Missæ per annum, ex c. *Ep. d. 74.*

V. Conferens Sacerdotium indigno suspenditur à collatione ordinis Sacerdotalis, ex cap. *Si qui Episcopi i. q. 1. sed est ferendæ sententiæ: v. Bon.*

VI. Conferens tonsuram illiterato suspenditur ab ejus collatione per annum, ex cap. *Nullus de temp. Ord. Sa tamendicit, hanc suspensionem non esse in usu.*

VII. Conferens cum præsumptione tonsuram conjugato eandem suspensionem incurrit; nisi vero conjugatus Religionem legitime velit ingredi, aut Sacros Ordines recipere juxta Canonum dispositionem, ex eod. c. *Nullus.*

VIII. Conferens ordines Clerico bigamo, aut pœnitenti publico suspenditur, seu potius prohibetur à celebratione Missæ per annum, ex cap. *Nullus d. 55.*

IX. Conferens tonsuram, vel ordines non subdito absque licentia sui Ordinarii, suspenditur per annum ibi à collatione tonsuræ, hic à collatione ordinum, ex cap. *Nullus, & cap. Eos, qui de temp. Ord.*

X. Conferens duos Sacros Ordines eodem die, aut duobus diebus continuato jejunio, suspenditur à collatione utriusque ordinis, nec relaxandus, nisi à Papa, ex c. *Litteras, de temp. Ord.*

XI. Conferens Sacros Ordines sine titulo cum pacto, ut ordinatus nihil ab eo petat in defectum beneficii, vel patrimonii, suspenditur à collatione ordinum per triennium; & similiter præsentans suspenditur ab executione ordinum per triennium, ex cap. *Si quis, de Sim.*

XII. Conferens Sacros Ordines Novitio ante professionem, aut vota simplicia Societatis Jesu, suspenditur à collatione ordinum, quos contulit, ex Bull. Pii V. *Romanus: v. Tamb. c. 12. & alios.*

Quæres hic, An liceat Episcopo aliquid accipere pro collatione ordinum?

Respon-

Respondeo, cap. i. de *Simonia* hæc habentur: *Pro ordinatione, eum, qui ordinatur, omnino aliquid dare prohibemus. Cap. Sicut Episcopum* i. q. 2. hæc habentur: *Is, qui ordinatus fuerit, si non ex placito, neque exactus, neque petitus, post acceptas chartas, & pallium, aliquid cuiuslibet ex Clero, gratiæ tantummodo causa, dare voluerit, hoc accipi, nullo modo prohibemus, quia ejus oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ non ex ambientis petitione processit. Ubi ly Ex placito* significat, ex pacto, juxta Gloss. Trid. sess. 21. c. 1. de *Reform.* ita præcipit: *Nihil pro collatione quorumcunque Ordinum . . . etiam sponte oblatum, Episcopi . . . accipiant, & qui secus fecerint, tam dantes, quam accipientes pœnas à jure inflittas ipso facto incurrant.* His positis, Thom. Sanch. in *Consil. Moral.* l. 2. c. 3. dub. 19. docet primo ex D. Th. 2. 2. q. 100. a. 2. ad 4. non esse simoniam juris naturalis, & divini, si in collatione ordinum aliquid detur, non in pretium ordinis, sed ad Episcopi sustentationem, quia in administratione aliorum Sacramentorum nulla est simonia aliquid recipere in propriam sustentationem: ergo nec in hoc, cum non sit magis spirituale, quam reliqua. Docet secundo, esse tamen simoniam juris Ecclesiastici, si Episcopus tale stipendium pro ordinum collatione recipiat; quia in reverentiam talis rei spiritualis, scilicet ordinum, id prohibuit Episcopis Trid. loc. cit. & cap. i. de *Simonia.* Ita etiam Armil. v. *Simonia* n. 32. Rosel. vid. *Simonia* 1, 2. 28. Ang. v. *Simonia* 1. n. 28. Tabien. v. *Simonia* q. 33. n. 34. & ibi Sylvest. q. 7. dict. 3. Docet tandem tertio, posse Episcopum, post collatum ordinem, aliquid recipere sponte oblatum; quia, quamvis in Trid. cit. expresse prohibeatur, etiam sponte oblatum recipere; tamen id expresse conceditur cit cap. *Sicut Episcopum* i. q. 2. si fiat post collationem ordinis: ita tenent Turrecr. Hug. Archid. Innoc. & Hostien. in c. cit. & post Trident. videntur expresse tenere Navar. *sum. lat.* c. 23. n. 102. vers. 11. & Ludov. Lop. 1. p. *instit. novi* n. 391. fol. 924. pag. 2. in fine, ubi dicunt, id non esse in foro conscientiæ simoniam. Et idem Nav. c. 25. *Hisp.* n. 68. *lat.* n. 68. vers. 2. & Salzed. *pract. Bernardi Diaz.* c. 91. incipient. *Simoniaci*, vers. 6. dicunt, quod ad hoc, ut sit locus pœnæ Trident. citat. oportet, ut datio præcedat ordinum collationem: ergo clare sentiunt nobiscum: sic etiam tenet expresse Capua l. 2. *decis.* c. 95. n. 59.

CAPUT II.

De Ministro Ordinum.

SOLUS Episcopus consecratus est ordinarius Minister etiam ordinis Episcopalis, etsi ad hunc conferendum indigeat assistentia aliorum, saltem duorum Episcoporum, vel Presbyterorum ex dispensatione Papæ: ut autem Episcopus licite conferat ordines, aut etiam primam tonsuram, requiritur ius super, ut sit proprius ordinandi, ratione scilicet domicilii, vel originis, vel beneficii, aut ab his habeat dimissorias, vel etiam testimoniales, & de his hic agendum.

§. I.

De Episcopo Domicilii.

DICITUR Episcopus proprius ratione domicilii, in cuius Diocesi habet, qui vult ordinari, fixum domicilium cum animo manendi ibi perpetuo. Qua in re Constit. Inn. XII. *Speculatores* ita statuit: *Subditus ratione domicilii ad effectum suscipiendi ordines is dumtaxat censetur, qui, licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum huiusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis, superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, & nihilominus ulterius in utroque casu se vere, & realiter animum huiusmodi habere iurejurando affirmat.* Requiritur ergo vel decennalis habitatio, vel per tempus considerabile cum instructis ædibus, & translatione majoris partis bonorum, & pro utroque casu iuramentum de animo vere ibi perpetuo manendi. Hinc Studiosi, &c. qui etiam per decem, aut plures annos studerent in eadem Academia non acquirunt domicilium ad effectum suscipiendi ordines, quia non habent animum perpetuo ibi manendi, seu figendi domicilium, ut requirit Const. cit. Item impuberes, ubicunque diu morentur, non possunt ibi domicilium acquirere, sed patris domicilium semper retinent usque ad pubertatem. Quod si paternum domicilium ignoretur, domicilium matris habetur pro suo; Barb. & alii apud Croix n. 2182.

Cæte-

Cæterum non impedit animum perpetuo alicubi habitandi, quod quis ita sit animo comparatus, aut alio migraret, si promotio, officium, casus improvisus, aut necessitas familiæ eo vocaret, ut cum communi docet Sanch. l. 4. *Decal.* c. 39. num. 20. Si tamen prudenter prævidit, se ex tali causa alio abiturum, tunc animus non acquievit hic, sed fuit veluti suspensus; ideoque jurare non potest, se vere, & realiter habere animum perpetuo hic permanendi. In dubio autem communissima sententia cum Barb. docet, post decennium præsumi posse talem animum, &c. Croix num. 2184.

Denique, si quis habeat duo domicilia æqualiter in diversis Diœcesibus, Sanch., Barb., Ricc., & alii apud Croix num. 2180. notant, ab utroque Episcopo posse ordinari; nam debet posse ab uno, nec est major ratio de uno, quam de altero. Addunt Averf., Gob., Barb. & alii apud eundem, Nobiles habentes plura feuda in diversis Diœcesibus, quamvis ibi non habitent, censeri esse ibi subditos, idque decisum esse à S. Congr. Idem dicunt Barb. Rebuf., Gob. & alii apud eundem de Officialibus, qui in diversis Diœcesibus habent perpetua officia, quamvis non fiant illarum cives; & id extendunt etiam ad eorum filios; sed non credo, ista ultima esse de mente Constit. cit., ut concludit Croix ibid.

Quæ dicta sunt de Episcopo domicilii, dic proportionaliter de Abbate Regulari benedicto, etsi non consecrato, qui non quidem potestate ordinaria, sed concessione Papæ conferre potest tonsuram, & ordines minores tantum Regularibus sibi subditis, qui proinde habent ibi domicilium. Qua in re S. Congr. approbante Clem. VIII. apud Croix n. 2190. statuit, *Abbatibus Regularibus benedictis non posse distam primam tonsuram, & minores ordines conferre Regularibus alterius Congregationis, Ordinis, vel Instituti, etiamsi habeant literas dimissorias suorum Superiorum Regularium, & consensum Ordinariorum, & multo minus personis secularibus etiam habentibus literas dimissorias à suis Ordinariis.* Si ergo his conferant, illicite conferunt; & si sine dimissoriis, etiam invalide, quia carent potestate ordinaria Episcopali, nec aliunde est ipsis commissa ad tales: si cum dimissoriis, Laym., Gob., & alii putant valide, quia Trid. *sess.* 23. c. 10. *de Refor.* tantum dicit *Non liceat*, & pro hoc referunt Declar. S. Congr. apud Pal.; sed

Suar.

Suar., Pignat., & alii negant, quia excedunt commiffionem Papæ, & in dicta Declar. dicitur *Non posse*: v. Croix num. 2191. An autem conferre possint tonsuram, & minores ordines suis novitiis? Affirmant Sanch. Pal. Delb. & alii, quia hi in loco Novitiatus statim acquirunt domicilium cum animo, quantum in se est, perpetuo ibi manendi, &c. Negant Suar. Henr. Barbof. & alii, quia ingressi sunt animo tantum experiendi Religionem, &c. Utraque sententia est probabilis apud Croix n. 2199. Ad quem autem Episcopum mitti debeant Religiosi, ut ordinentur, dicam §. 4.

§. II.

De Episcopo Originis.

CONSTIT. INN. XII. *Speculatores hæc statuit: Subditus ratione originis is tantum sit, ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea Diocæsi, in qua ad ordines promoveri desiderat; dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujuscvis alterius temporalis moræ, seu permanentiæ ejus patris in illo loco; quo casu nullatenus ejusmodi fortuita natiuitas, sed vera tantum, & naturalis patris origo erit attendenda, &c.*

Is ergo censetur huic Episcopo subditus ratione originis, seu, ut dicitur, originarius, qui natus est in patris domicilio existente in hac Diocæsi; licet ergo aliqui Juristæ dicant, originem adoptati etiam sumi ex domicilio patris adoptantis, negandum id tamen est quoad tonsuram, & ordines; quia Canones loquuntur de patre naturali. Similiter, quamvis multi apud Gob. dicant, originem avi tui etiam hic posse censerit tuam, tamen Bard. Gob. & alii melius negant, quia Constit. cit. remittit præcise ad propriam originem patris. Item per baptismum in aliena Diocæsi non habetur titulus originis, quia baptismus est origo tantum spiritualis: excipiunt tamen aliqui cum Gob., nisi fuisset Turca, Judæus, aut alius Infidelis, eo quod tales nulli Episcopo erant ante subjecti; ideoque videntur sortiri primum locum originis respectiue, ubi regenerantur. Illegitimi autem, cum sequantur ventrem censentur habere originem, ubi habitat mater, quæ solet etiam esse notior. Quod si patris, & matris domicilium ignoretur, illam

illam habere censentur in loco, ubi fuerunt inventi, seu expositi: v. Croix à n. 2180.

Qui ex accidenti natus est in aliqua Diœcesi, quamvis non subdatur titulo originis, nisi Episcopo originis naturalis paternæ, quæ consequenter censenda est etiam sua, ut statuitur in Constit. cit. tamen additur ibidem primo, quod si tanto temporis spatio ibi fuerit, ut ibi potuerit contrahere aliquod impedimentum Canonicum, indiget Testimonialibus Episcopi illius Diœcesis, ut possit licite ordinari à proprio Episcopo: additur secundo, quod, si pater ibi, ubi ex accidenti natus est filius, tandiu, & eo animo permanserit, ut vere domicilium de jure ibi contraxerit, tunc non origo patris, sed tale domicilium pro ordinatione filii attendi debet.

Si pater in diversis Diœcesibus habeat duo domicilia, in quibus æqualiter habitet; quamvis possit ipse ab alterutro Episcopo ordinari ratione domicilii, juxta dicta §. I., tamen ejus filius ab illo tantum ordinari potest titulo originis, in cujus Diœcesi natus est; quia illud tantum domicilium paternum sortitus est origine: nisi vero ipse etiam post pubertatem utrobique æqualiter habitet. At, si fortuito extra utriusque Diœcesim natus est, ab utrovis potest ordinari titulo originis; qui uterque censetur ejus Episcopus originis, cum non sit potior ratio de uno, quam de altero: Præp., Dian. p. 8. t. 2. r. 14. apud Busemb.

Denique, si, postquam filius natus est in patris domicilio existente in hac Diœcesi, pater in aliam Diœcesim domicilium transferat, non ideo filius amittit jus originis jam acquisitum; ideoque potest etiam ordinari ab hoc Episcopo originis, etsi indigeat Testimonialibus Episcopi illius Diœcesis, si ibi potuerit aliquod impedimentum canonicum contrahere. De vagis, & filiis vagorum nihil hactenus inveni apud Doctores, puto tamen, fortiri originem, ubi nascuntur, quamvis multis Testimonialibus indigeant, ut ibi ordinentur.

§. III.

De Episcopo Beneficii.

CONSTIT. cit. ita statuit, Primo: *Nulli Episcopo, etiamsi Cardinali, liceat externum, ac sibi ratione*
origi-

originis, seu domicilii non subditum ad Clericalem tonsuram promovere prætextu cujusvis Beneficii Ecclesiastici ei statim conferendi, seu ad quod is à patronis jam præsentatus, seu nominatus fuerit; etiamsi dictum Beneficium de novo fundatum sit ea lege, ut quis immediate post tonsuram ad illud instituatur. Itaque hic talis tonsurari tantum potest ab Episcopo propriæ originis, seu domicilii: an autem, ut sic tonsuretur, sufficiat præcise tale beneficium nondum possessum, dicitur de Titulo Ordin. §. 1. quæsit. 1.

Eadem Constit. cit. statuit secundo: *Licet Clericus ratione cujusvis Beneficii in aliena Diœcesi obtenti subijci dicatur Jurisdictioni illius Episcopi; non tamen ad effectum suscipiendi ordines, nisi tale beneficium per se sufficiat, &c. Et pacifice possideatur, sublata facultate suppleendi adjunctione patrimonii, &c.* Itaque, si talis Clericus pacifice possideat dictum Beneficium in aliena Diœcesi, quod sit de se sufficiens, &c., tunc solum poterit licite promoveri ab illo Episcopo, allatis tamen Testimonialibus Episcopi sui domicilii, quæ simul cum tali Beneficio sufficienti exprimendæ sunt in attestatione collatorum ordinum ab Episcopo Beneficii, ex cit. Constit.

Statuit tertio: *Clericum à proprio Episcopo tonsuratum, seu etiam ad ordines minores promotum non posse ab Episcopo Beneficii ad ulteriores ordines promoveri, nisi Testimoniales proprii Episcopi tam originis, quam domicilii super suis natalibus, ætate, moribus, & vita obtinuerit, & exhibuerit.* Idemque est, si post Subdiaconatum, vel etiam Diaconatum obtinuerit beneficium, cujus titulo promoveri velit ab Episcopo illius Beneficii. Contra vero, si Clericus habeat in aliena Diœcesi patrimonium, etiamsi pro hoc titulo sufficiente sit approbatus, nullatenus potest promoveri ab eo Episcopo absque dimissoriis Episcopi proprii originis, seu domicilii, juxta dicenda §. 5. Idem est, si habeat ibi Missas fundatas, quamvis proventus sufficiant ad honestam sustentationem. Idem, si habeat ibi præbendam temporalem, vel mensæ Episcopalis, vel spiritualis exercitii ibi exhibendi, &c., quia non sunt revera Beneficia: v. Croix n. 2178.

Quæres primo, An Ordinatus uno ordine ab Episcopo originis possit sine dimissoriis alium ordinem suscipere

scipere ab Episcopo domicilii, & alium ab Episcopo Beneficii?

Respondeo affirmative cum Henr., Averf., Præp., Pignat., & aliis contra Barb., & alios apud Croix num. 2185.; quia respective ad ordines suscipiendos est verus subditus singulorum, & nemo indiget dimissoriis ad suum Episcopum; neque id improbat cit. Constit., quæ, quantum attinet ad Episcopum Beneficii, ad summum vult, afferri Testimoniales à proprio Episcopo. Addo tamen, quod, si quis ab Episcopo originis sit prohibitus promoveri ad ulteriores Ordines, vel suspensus, non potest ab alio Episcopo petere alium ordinem, nisi prior Episcopus consenserit, vel Papa rehabilitarit post cognitam causam, ex Trid. *sess. 14. c. 1. de Reform.*

Quæres secundo, An Ordinatus uno Ordine ab Episcopo Beneficii, si illud hoc anno resignet, possit alium ordinem suscipere ab eodem Episcopo?

Respondeo negative, quia amisit jam subjectionem requisitam: similiter, si Neapolitanus simul cum patre fixit domicilium Capuæ, ex quo ibi tonsuretur, & postea dimissa Capua fixerit iterum domicilium Neapoli, non potest petere ulteriores ordines Capuæ; quia amisit ibi subjectionem requisitam ad susceptionem ordinum; quidquid sit, an dicendus tunc sit Clericus Ecclesiæ Capuanæ, an Neapolitanæ: Croix n. 2186.

Quæres tertio, An, qui plura habet Beneficia in diversis Diocesibus, possit in singulis ordinari?

Respondeo affirmative, quia ratione beneficiorum fit subditus in singulis: Sanch., Barb., & alii apud Croix n. 2179., ubi etiam addunt, quod, si Beneficium, quod possides, quoad Jura Episcopalia sit subjectum uni Episcopo, quamvis quoad præsentationem, & institutionem subjiciatur alteri Episcopo, potes in priori Diocesi ordinari.

§. IV.

De Episcopo alieno.

DICITUR alienus Episcopus, qui non est proprius ordinandi, nec ratione originis, nec ratione domicilii, nec ratione beneficii: si ergo absque licentia, seu dimissoriis illum ordinet, etiam ad primam tonsuram,
R. P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III. P. ram.

ram, illicite ordinat, & uterque graviter peccat contra grave præceptum Sac. Can., præsertim Trid. *sess. 23. c. 8. de Ref. & sess. 14. c. 2.*, ubi ex dictis statuitur etiam poena suspensionis, & quidem ordinanti per annum à collatione ordinum, ordinato vero ab exercitio ordinis sic suscepti, quamdiu proprio Ordinario videbitur. Nec ad vitandum tale peccatum sufficit ratihabitio de futuro proprii Episcopi, ut docent Doctores cum Sanch. l. 7. *Confil. dub. 20. num. 13. contra Glos., D. Th., & alios*, quia aliter daretur anfa Episcopis, ut hoc quæsito colore alienos ordinent; & Trid. *sess. 14. c. 3. de Ref.* cavet, ne Episcopi titulares aliquem ordinent absque expresso sui Episcopi consensu.

An autem talis ordinatio sit etiam invalida? Affirmandum, si fiat ab Abbate etiam benedicto, juxta dicta §. 1.; negandum, si ab Episcopo, utpote habente potestatem ordinariam vi characteris, quæ stat sine jurisdictione: Croix num. 2192. Neque obstat c. 1. & 3. d. 71. dicens, esse irritam; intelligitur enim communiter, quoad executionem tantum; ideoque sic Tonsuratus non gaudet privilegio Clericali, nec potest valide obtinere Beneficia: est demum suspensus ab actu cujusvis ordinis sic suscepti: Sanch. num. 14.

Quæres, An alienus Episcopus possit in aliquo casu aliquem ordinare sine licentia proprii Episcopi?

Respondeo affirmative: Sunt enim duo casus hujusmodi: Primo, Quando Episcopus proprius est manifeste suspensus, non quomodocunque, sed eo præcise, quod ordinavit Clericos alienos absque licentia proprii Episcopi: tum enim possunt Clerici ejus subditi sine licentia ordinari à vicinis Episcopis, ex c. 2. *de Temp. ordin. in 6.* Debet ergo dicta suspensio esse notoria facto, vel jure; & tunc ejus tantum Clerici, non vero laici, possunt ordinari ab alieno Episcopo, & quidem tantum vicino; quia per talem potest melius sciri de eorum vita, & moribus; ideoque ab eo ordinari licite possunt in ejus Diocesi; & similiter ab Archiepiscopo vicino, ut probabiliter docent Sanch. n. 19., & alii contra Francol., & alios. Quod enim Archiepiscopus non possit sine licentia suffraganei ordinare ejus subditum, ne tempore quidem visitationis, & in loco exempto, est extra hunc casum.

Alter casus est, Si Episcopus alienus per integrum, & completum triennium (ut statuitur in cit. *Constit.*)
sub-

subditum alterius Episcopi secum in suo actuali servitio retinuerit, ac suis sumptibus aluerit; tunc enim titulo Familiaritatis potest illum tonsurare, ordinare, &c. absque licentia proprii Episcopi, sed non nisi cum ejus Testimonialibus, & providendo illi de Beneficio sufficienti intra mensem absque ulla fraude, ex *cit. Constit.* Nominem autem Episcopi alieni non venit hic Episcopus nullatenus, seu ordinatus titulo Ecclesiæ in partibus infidelium: Croix n. 2187. ex Trid. *sess. 14. c. 2. de Reform.*; multoque minus venit Abbas Regularis, cui tantum commissa est facultas relate ad suos subditos regulares, juxta dicta §. 1. Nominem autem familiaris probabiliter venit etiam ejus famulus, quia & hic est etiam familiaris Episcopi, si reliqua adsint, quæ *cit. Const.* requirit: Croix ex Sanch. n. 2187. Denique, si familiaris non possideat actu patrimonium, &c. neque in hoc casu potest tonsurari, quia nec Beneficium actu possidet, juxta dicenda de tit. Ordin. contra Vasq.

De Mand. Clem. VIII. S. Congreg. 15. Mart. 1596. Regulares *quarumcunque Religionum* ordinari debent ab Episcopo Diocesano; nisi is abfuerit, vel non habeat ordinationes, vel Sedes vacet; tunc enim à quovis alio Episcopo (modo non fiat in fraudem) ordinari possunt cum dimissoriis suorum Superiorum id exprimentibus. Si autem Monasterium sit in loco nullatenus, dimissoriæ sint ad Episcopum viciniorum sub pœna privationis officii, vocisque activæ, & passivæ, aliisque arbitrariis. Excipe Soc. Jes. ex Paul. V. Gregor. XIV., & Inn. XII. ap. Croix num. 2144. & 2236., ubi Sanch., Laym., Pal., Gob. excipiunt etiam Religiosos exemptos contra Averf.

§. V.

De Litteris Dimissorialibus.

LITTERÆ dimissoriales, seu, ut dicunt, reverendæ sunt, *Quibus datur licentia accipiendi tonsuram, vel ordinem ab alieno Episcopo.* Atque has dare potest

I. Papa pro tota Ecclesia. Ubi etiam nota primo, Ordinatos in Diaconos, vel Subdiaconos à Papa non posse sine ejus licentia ab alio Episcopo ad superiores ordines promoveri: Sanch. n. 18. ex cap. *Cum in distribuendis, de Temp. Ordin.* Idem dicunt aliqui apud Sanch. n. 28.,

quando Papa providet alicui in curia de Titulo Beneficii; sed melius ipse cum aliis sentit oppositum. Nota secundo, Licentiam, quam dat Papa Episcopo consecrandi Episcopum, esse, ut Assistentibus etiam duobus aliis Episcopis ad minus, ex *Decr. S. Anacl.*, tamen potest Papa dispensare, ut loco Episcoporum assistentium assistant duo Sacerdotes, ex praxi S. Gregor. III., & S. Pii V. An autem possit Papa dispensare, ut nullo assistente Presbytero est dubium, ideoque talis consecratio est reiteranda.

II. Legatus à latere, seu Nuntius Apostolicus pro sua Provincia, in qua & potest ipse ordinare, cum sit Ordinarius: Croix n. 2264.; & alii contra Pignatell., & alios. Debet tamen Ordinandus habere Testimoniales à proprio Episcopo, & Sede vacante à Capitulo juxta dicenda §. 6. Rursus si proprius Episcopus nolit subditum ordinare, potest Nuntius Apostolicus committere viciniore, ut dimissorias ei concedat, &c., Sanch. num. 27. Denique nota, Ultramontanos, omnesque natos extra Italiam, si velint tonsurari, seu ordinari intra Italiam; debere sub pœna suspensionis, aliisque inflicis *Decr. Urb. VIII. Secretis II. Dec. 1624.*, dimissorias propriorum Episcoporum ostendere Nuntiis, seu Collectoribus Apostolicis commorantibus in loco, unde discesserunt, & deinde Vicario Generali Urbis Romæ.

III. Episcopus proprius, five originis, five domicilii, five beneficii; quia hi potestate ordinaria possunt talem ordinare. Idque, etiam si talis Episcopus nondum sit consecratus; quia dimittere non est actus ordinis, sed jurisdictionis, quod Gob., & alii apud Croix num. 2233. extendunt etiam ad Episcopum electum, licet nondum confirmatum, in locis tamen multum remotis à finibus Italiæ; nemo autem extendit ad Vicarium Generalem Episcopi, nisi ex speciali hujus commissione, aut hoc in remotis agente: Croix num. 2234. ex cap. *Cum nullus de Temp. Ordin. in 6.* Sede autem Episcopali vacante, *Trid. sess. 7. c. 10.*, & *sess. 23. c. 10. de Refor.* vetat, ne Capitulum intra annum à die vacationis det dimissorias alicui, nisi beneficii recepti, vel recipiendi occasione *arbitratus* fuerit, sub pœna interdicti ipsi Capitulo, & suspensionis per annum ab officio, & beneficio ipsi concedenti; & privationis privilegii Clericalis ipsi sic ordi-

ordinato, si fit in minoribus; suspensionis vero ab ordinibus usque ad beneplacitum futuri Episcopi, si fit in majoribus: v. plura in hanc rem apud Croix num. 2257, ubi dicitur, *Arctatum* Beneficio recipiendo esse illum, qui habet jus, seu est vocatus ad aliquod beneficium vacans, aut ad Capellaniam requirentem actu certum ordinem, quo ille caret; vel qui est presentatus ad Beneficium, necdum est tonsuratus: non vero is, cui aliquis vult resignare Beneficium, quia hoc est mere voluntarium. At post annum à vacatione potest ex jure communi Capitulum dare cuique subdito dimissorias, sed ex novo Decr. S. Congreg. sub Clem. XI. vetatur in Regno Neapolitano, in quo proinde requirendæ sunt dimissoriæ à Sede Apostolica, & Testimoniales à Capitulo, seu ejus Vicario. Nota demum, Vicarium Papæ, Sede Apostolica vacante, posse efficere, ut ordinentur sui, aut eis etiam non *Arctatis* dare dimissorias; quia Trident. cit. non restringit jurisdictionem Sedis Apostolicæ vacantis: Henr., Avers., & alii; idemque dicunt Graff., & alii apud Croix num. 2263. de Vicariis Episcoporum deputatis per Papam, quos vocat Apostolicos.

IV. Abbates Regulares (non vero Seculares, ex Trid. *sess. 23. c. 10.*) & Superiores etiam Regulares dare possunt dimissorias suis subditis Regularibus, ex Trid. apud Fagn. & Croix n. 2236., & probabiliter etiam suis Novitiis, ut certum est de Novitiis Societatis Jesu apud Croix num. 2237. ubi probabile est, etiam post Decret. S. Congr. jussu Urb. VIII., tales dimissorias dari posse ad quemcunque Episcopum, modo sint Religiosi exempti; nam hoc privilegium, & consuetudo eximunt eos ab iis, quæ in cit. Decr. statuuntur: v. Croix n. 2236. Nota tamen in Societate Jesu id posse tantum Provinciales: in aliis Religionibus aliquando etiam Superiores locales juxta sua cujusque Religionis statuta.

Quæres primo, Quomodo intelligenda sit facultas data in Dimissorialibus?

Respondeo: Primo, Si dimissus sis ad Episcopum pro prima tonsura, poteris etiam ab eo confirmari; & similiter, si pro Subdiaconatu, poteris ab eo tonsurari; quia, cui conceditur majus, conceditur etiam minus: contra vero, si concedat Minores, vel Ordines tantum, non intelligitur de majoribus, ex cap. 1. de *Temp. Ordin.*

Ordin., ideoque oportet exprimere *Sacros*, vel *Majores*: Croix num. 2239. Secundo, Episcopus dimittens subditum ad alienum Episcopum, non hoc ipso ei dat licentiam dispensandi in quocunque impedimento; quia privilegium non extenditur ultra casum expressum, & a disparatis non fit illatio: Navarr., Sanch., Castr., Dian., & alii contra Gob. apud Croix num. 2240., afferentem Regul. Juris, quod *Concesso uno videtur concedi id, sine quo illud concessum non potest subsistere*: Tertio, Dimissus à tuo Episcopo ad determinatum Episcopum peccas adeundo alium Episcopum: nisi vero dimittens non habuerit specialem causam, sed quia ille erat tibi vicinior, aut tu illum petiisti, quia sic in gratiam tui erat designatus, &, quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum, ex *Reg. Jur.* Croix num. 2241., & alii: item, si Papa dispensat, ut ordineris extra tempora *A tuo Ordinario tantum*, potes cum hujus dimissoriis ordinari ab alio, quia *ly tantum* indicat, ne ei præjudicetur: Croix num. 2242. Quarto, Dimissus, ut ordineris *A quovis Episcopo in propria Diœcesi residente, seu ordinante*, secundum Sanch., Rodr. & alios, nequis ordinari ab Episcopo in aliena Diœcesi cum licentia ordinantis; sed secundum Ledesm., Dian., & alios potes; quia tantum intenditur, ne absque licentia fiat in aliena Diœcesi, &, quod fit ex licentia residentis, censetur fieri à residente: Croix num. 2246.

Quæres secundo, Quid aliud notandum sit circa dimissorias?

Respondeo: Primo, Si sint indefinitæ quoad tempus, non expirare Sede Vacante, quia sunt gratia facta; durant ergo, donec Successor expresse revocet; in dubio enim non censentur revocatæ, quia talis mutatio, seu correctio est odiosa: Croix num. 2247. addens, quod si dimittens postea curet dici tibi, ne te facias ordinari ab alio, non ideo revocat, sed tantum indicat, non esse necesse: Secundo, Quamvis dimissoriæ expriment, te esse examinatum, & approbatum, potest tamen Ordinans te adhuc examinare, ut ex Trid., & Decl. S. Congr. probant Bon., Barb., & alii apud Croix n. 2245. Tertio, Episcopus invitatus ad ordinandos subditos alienos, & in aliena Diœcesi potest alios etiam aliunde generaliter dimissos hic ordinare sine speciali licentia: Sanch., & alii ex Decl. S. Congr. & idem est de Subditis Episcopi invitati, qui non indigent dimissorialibus ad ipsum: Croix

Croix n. 2188. Quarto, In dimissoriis apponenda est causa, cur dimittaris, alias non suffragantur, ex Trid. *sess. 23. c. 3. & c. II. de Reform.* Quinto, Concedi non debent ante legitimum examen, & approbationem, ex Trid. *sess. 23. c. 3. de Reform.* qua in re consulenda est consuetudo locorum: Sexto, Concedi possunt etiam sine scriptura, modo saltem consentent per testes, ex cap. *Ut circa, de Elect. in 6.*; si tamen Clericus Ultramontanus ordinetur ab Episcopo Italiæ, requiritur scriptura, ex cap. *I. de Temp. Ord. in 6.* & quidem ab ejus Nuntio, seu Collectore recognita, juxta jam dicta: Septimo demum, Concedendæ sunt gratis, ex Trid. *sess. 21. c. I. de Ref.* alibi cit.

§. VI.

De Litteris Testimonialibus.

TESTIMONIALES, seu Commendatitiæ Litteræ dicuntur, *Quæ testantur de natalibus, ætate, moribus, & vita Ordinandi.* Trid. *sess. 23. c. 5. de Reform.* statuit, Primo, ut Tonsurandus habeat bonum testimonium à Parocho, & Magistro scholæ, in qua educatur: Secundo, ut Promovendus ad singulos majores ordines prius per mensem ab Episcopo committendus sit Parocho, aut cui magis videbitur, qui ex publica notitia testimoniales de natalibus, ætate, moribus, & vita reddat Episcopo: Tertio, ex cap. 8. Promovendum ab Episcopo alieno afferre debere testimoniales probitatis, & morum à suo Ordinario; secus ordinans suspensus sit à collatione ordinum per annum, & Ordinatus à susceptorum executione, quousque proprio Ordinario videbitur ex dictis c. I. §. 5. & 6. Hinc

I. Tonsuratus à proprio Episcopo non potest ab Episcopo Beneficii promoveri sine testimonialibus proprii Episcopi tam originis, quam domicilii, ex Const. cit. Inn. XII. Convenit autem, ut Episcopus originis testetur de natalibus, & ætate; Episcopus domicilii, si sit diversus, de moribus, & vita: Croix n. 2251. addens Decl. Cong., quod, si quis fuerit absens per plures annos ab Ordinario, informatio de vita, & moribus habenda est ex loco, in quo fuit versatus. Si autem neuter Episcopus testetur de ætate ordinandi, aliqui dicunt sufficere testimonium Parochi, quia cessat periculum

fraudis, & Episcopi omittentes præsumuntur, se remittere certitudini alienæ. Alii vero negant ob Confr. cit. requirentem tale testimonium determinate ab Episcopo: v. Croix n. 2252. Si quis vero afferat dimissorias ab Episcopo originis, non indiget testimonialibus; quia sic dimittens censet aptum, &c. indiget tamen dimittens testimonio ab Episcopo domicilii, si sit diversus. Si Titius certus sit, se fuisse tonsuratum, nec possit iudice probare, sufficit, si juret. ut admitti possit ad ordines, quia, ubi non potest haberi probatio plena, potest admitti privilegiata; potest tamen hæc etiam rejici, utpote non juridica: Croix à n. 2251.

II. Capitulum, Sede vacante, potest etiam primo anno vacationis dare testimoniales suis subditis habentibus aliunde dimissorias, quia id nullatenus prohibetur à Trid. & similiter potest dare licentiam Episcopo extraordinario, etiam nullatenus, exercendi ibi Pontificalia Sede Vacante; ideoque possunt tunc ibi ordinari, quotquot habent dimissorias sufficientes à suis ordinariis; & multo magis Religiosi etiam primo anno in loco Sedis Vacantis afferentes dimissorias, & testimoniales ab eis, ad quos spectat: v. Croix n. 2260.

III. Pro Regularibus dat testimoniales, non Episcopus, sed Superior Regularis: Barb. apud Croix n. 2255. cujus ratio valet etiam pro Novitiis; nam de aptitudine, vita, & moribus Novitii melius rescit Superior Regularis, quam Episcopus. Quoad scientiam vero, debet præcedere examen Episcopi etiam quoad Religiosos, ex Trid. *sess. 23. c. 12. de Refor.* Potest tamen Episcopus se remittere examini Superiorum, vel committere aliis. Quod, si Summus Pontifex alicui Religioni (ut Societati Greg. XIII.) post hoc Trid. decr. concessit, ut ejus Religiosi absque examine promoveantur, certe examinare Episcopus non debet. Nota demum, ex S. Congr. apud Barb. posse Ordinarium committere examen Episcopo, cui committit, & hunc posse etiam à suo examinatum examinare: v. Tamb. *de Ordin. cap. 6. in fine.*

C A P U T III.

De Subjecto Ordinum.

SUBJECTUM capax Ordinis debet esse Mas, Baptizatus: & utrumque pertinet ad valorem: ut autem ordine-

dinetur licite, debet esse subditus, habens ætatem, & titulum, de quibus capitib. seq. Item debet esse sine irregularitate, censura, & peccato, de quibus hic pauca.

§. I.

Debet esse Mas, & Baptizatus.

CERTUM est, feminam, & marem non baptizatum esse incapaces cujusvis ordinis, etiam primæ tonsuræ, quia institutio Divina tantum voluit mares, & Baptismus est janua cæterorum Sacramentorum.

Quæres primo, An Hermaphroditus valide ordinetur?

Respondeo affirmative, Si in eo prævalet sexus virilis; quamvis non esset ordinandus, cum monstrosus sit, hominem, aliquo modo feminam, ordinari: Pal. apud Tamb. Invalide vero ordinatur, si prævalet sexus femininus, cum sic sit simpliciter femina: idemque est, si nullum sexum habet, qualem puerum natum esse testatur Liv. quia vere non est Vir. Si autem uterque sexus æque prævaleat, aliqui affirmant, aliqui negant, valide ordinari, certe illicite, cum sit irregularis: Tamb. Si demum ex viro quis desciscat in mulierem, evadit incapax ordinis, quia secundum præsentem statum femina esse supponitur; quod si antea ordinem suscepit, invalidus fuit, cum revera esset femina latens: contra vero, si ex muliere erumpit in virum: Plura de hoc in Tract. de Irreg. cap. 4.

Quæres secundo, An baptizatus baptismo tantum fluminis, vel sanguinis valide ordinetur?

Respondeo negative, Quia solus baptizatus baptismo fluminis efficitur de corpore Ecclesiæ, eique subicitur, &c. vid. Croix l. 6. p. i. n. 165. ex Lug. aliisque communissime docentibus, hunc nullius Sacramenti esse pacem.

Quæres tertio, An baptizatus, sed nondum confirmatus, valide ordinetur?

Respondeo affirmative, Quia jam per baptismum est capax. An autem licite sic ordinetur? Bon. Tamb. Tol. Averf. & alii dicunt, peccat mortaliter, quia Trident. *sess. 23. cap. 4. de Confir.* ait, prima tonsura non inicitur, qui Confirmationem non susceperint: Suarez, Val.

Con. Gran. Avil. & alii negant, peccare mortaliter, quia Tridentinum monere potius videtur, quam præcipere: addit Tamb. ne venialiter quidem peccare, sed contradicunt communius, quia est aliqua faltem levis deordinatio.

§. II.

Debet esse sine Irregularitate, Censura, & Peccato.

CERTUM est, peccare graviter sacrilege, si existens in irregularitate suscipias ordinem; imo etiam primam tonsuram, utpote contra grave præceptum Ecclesiæ ex motivo Religionis, sive ea irregularitas erat ex delicto, sive ex defectu: idem est, si suscipias Sacerdotium existens in peccato, vel in excommunicatione, etiamsi occulta, et si minori, cum sit Sacramentum: idem communissime docent Doctores de Diaconatu: idem communius de Subdiaconatu: idem communiter de Ordinibus Minoribus: utpote Sacramentis (De prima Tonsura videtur venialis; quædam deordinatio eam suscipere, & non in statu gratiæ, cum non sint Sacramentum) Eadem dic de interdicto personali speciali. Si autem cum suspensione suscipias alios ordines, non peccas graviter, nisi ei adnexa sit inhabilitas ad eos suscipiendos; quia suspensio præcise accepta prohibet tantum usum præteritorum. Denique probabile est cum Suar. & aliis contra alios, illum, qui suscipit Sacerdotium in excommunicatione, aliave censura, non incurere irregularitatem, et si tunc celebret cum Ordinate; quia non est actus distinctus ab ipsa ordinatione, sed ejus complementum.

Quæres, An valide ordinetur Irregularis, vel Censuratus ignotus Episcopo ordinanti?

Respondeo probabilius affirmative, Quia, et si Episcopus enunciare faciat, se non intendere ordinare Excommunicatos, Irregulares, furtive accedentes, &c. tamen post hanc protestationem solet absolvere ordinandos ab omni excommunicatione ad solum effectum illos ordines suscipiendi; & eam solum ad terrorem enunciat, & præsumitur (nisi oppositum constet) priorem voluntatem mutare, dum actu ordinat: v. Sanch. l. 7. de Matr. 16. II. Addit

Addit Sa, verba illa intelligi, si sciat talem esse; quare is, quem ordinat, non sciens talem esse, vere est ordinatus: hæc Sa; non tamen omitterem, ait Tambur. conditionatam reordinationem.

CAPUT IV.

De Circumstantiis Ordinationis.

DISCUTIENDA hic sunt: I. Ætas Ordinandorum: II. Tempora Ordinationum: III. Extra tempora: IV. Interstitia: V. Locus, & reliquæ Circumstantiæ ad Ordinationem requisitæ.

§. I.

De Ætate Ordinandorum.

QUAMVIS olim requirebatur major ætas pro finibus ordinibus suscipiendis, hodie tamen standum est dispositioni Trid. sess. 23. c. 12. Nullus in posterum ad Subdiaconatus Ordinem ante 22. ad Diaconatus ante 23. ad Presbyteratus ante 25. ætatis suæ annum promoveatur. Ad primam Tonsuram vero Ex jure præsertim ejusdem Trid. c. 4. colligitur, requiri saltem septennium; debet enim habere usum rationis, & scire rudimenta Fidei, & item legere, & scribere: & licet Gob. & Quintan. putent, posse aliquem præcocis judicii tonsurari ante septennium, tamen standum est juri, & praxi Ecclesiæ: Croix num. 2306. Ad Ordines Minores, etsi multi cum Nav. probabiliter dicant, requiri annum 14. tamen probabilis, & communis apud Leandr. sufficit etiam septennium completum, quia non apparet prohibitio in contrarium: quoniam vero non statim à septennio scit puer, quæ requirit Trid. pro Minoribus, ideo communiter non statim, sed post 12. completum sunt ordinandi. Denique ad Ordinem Episcopalem requiritur annus 30. completus, ex cap. Cum in cunctis, de Elect. & Bull. Greg. XIV. Onus; quamvis in Regno Galliæ ex concordatis sufficiat annus 27. v. Pal. de Benef. d. 4. p. 3. n. 1.

Quæ-

Quæres primo, An dicti ætatis anni debeant esse completi, an vero satis sit, si sint inchoati?

Respondeo, Pro Subdiaconatu, Diaconatu, & Presbyteratu satis esse, si sint inchoati saltem per unum diem, quia Trid. cit. non exprimit completionem, & sumus in odiosis: Doctores communiter. Ætas autem hic non numeratur à die conceptionis, nec necessario à die Baptismi, sed tantum à die nativitatis, & quidem ab hora talis diei usque ad diem, & horam præsentem, ita ut non detur hic parvitas materiæ. Itaque, qui hodie hora 24. complet annum 21. non potest hoc mane ordinari Subdiaconus, quia nondum inchoavit annum 22. poterit tamen etiam medio quadrante post horam 24., quia jam inchoavit, &c. etsi non possit medio quadrante ante, quia parum non debet hic reputari pro nihilo, cum ex eo pendeat impletio totius præcepti, ut dicitur de media nocte jejunii: Sanch. & alii ap. Croix n. 2309. ubi etiam infertur, quod, si scias, te hodie complere annum 21. sed nescias, an ante, vel post meridiem, ordinari non possis Subdiaconus, quia in dubio possidet præceptum: sufficit tamen in dubio attestatio parentum; &, si hi desint, aliæ conjecturæ, & indicia: item aliorum hominum testimonia. Putant hic Pelliz. & alii, posse detrahi dies bissextiles; sed communiter rejiciuntur, utpote contra praxim.

Quæres secundo, An sit valida ordinatio ante legitimam ætatem?

Respondeo affirmative; etiam si conferatur puero Sacerdotium, aut etiam cum eo Episcopatus (sine Sacerdotio enim est nullus hic Ordo, ut suppono) Ratio est, quia in subjecto etiam puero adest capacitas cujusvis Ordinis, nec deest ex alibi dictis intentio interpretativa. Nec obest, quod Episcopus consecratur in pastorem, ad quod munus puer ratione carens videtur incapax; nam nec videtur capax absolvendi à peccatis, & tamen valide consecratur Sacerdos: v. Sanch. l. 7. *Consil. d. 32.* Eadem dic de perpetuo amente, utpote qui comparatur puero ante usum rationis. Illud hic notandum, puerum sic ordinatum, adveniente deinde rationis usu, non illico teneri ad onera Ordini adnexa, Castitatem, Horas Canonicas, Impedimentum Matrimonii, &c. sed posse pro libito eligere statum; ita ut, si velit stare ordini recepto,

recepto, mox, & in perpetuum teneatur ad onera ei adnexa; si nolit frare, ad nil tenebitur, poteritque ducere uxorem, &c. proindeque manebit etiam suspensus ab exercitio illius ordinis: Doctores communiter cum Sanchez. *Ex jur.*

Quæres tertio, An fit licita ordinatio ante legitimam ætatem?

Respondeo cum communi negative, præcisa dispensatione. Et quidem peccat mortaliter tum conferens, tum recipiens aliquem ordinem majorem vel uno die ante ætatem. De prima tonsura, & ordinibus minoribus, quamvis negaverit Henr. esse mortale, tamen etiam affirmant communiter cum Sanchez d. 24. n. 16.; quia etiam sic videtur violari lex Ecclesiastica in re gravi, & arguitur etiam ex pœna gravi, qua sic ordinans suspenditur à collatione primæ tonsuræ per annum (ut modo diximus) quæ pœna non infligitur, nisi pro culpa gravi. Ordinatus autem ante ætatem, si bona fide suscepit ordinem, non peccavit quidem, ideoque nec incurrit pœnam suspensionis ab ordine sic suscepto; sub gravi tamen tenetur abstinere ab exercitio talis ordinis, donec ad legitimam ætatem pervenerit; quamvis ea adveniente non indigeat dispensatione, utpote qui erat tantum quasi irregularis ex defectu ætatis, qui per se cessat illius adventu: si autem post talem suspensionem bona fide factam rescians defectum ætatis actum ordinis exercent, peccat quidem graviter, sed nullam pœnam Ecclesiasticam incurrit. Contra vero, si mala fide suscepit, incurrit ipso facto suspensionem ab ordine sic suscepto; & Tamb. putat; etiam ab aliis ordinibus antea susceptis, quia Bull. Pii II. ait absolute *A suorum Ordinum executione ipso jure suspensus sit.* Itaque absolvi debet à tali censura, & si cum ea exercent, &c. fit irregularis, & indiget etiam dispensatione Pontificia, si res sit publica: Episcopali, si sit occulta, juxta dicenda de irreg. Addit Croix 2313. quod ordinatus Sacerdotio uno die ante ætatem, putans nihil distare, quod parum distat, si fuit ignorantia culpabilis, peccavit mortaliter. Et quamvis Nav. Sa, Avil. Barb. & alii putent, non incurrisse suspensionem, utpote impositam contra præsumentes, &c. tamen sub mortali tenetur abstinere à Sacerdotalibus ante ætatem: qua expleta Hurt. Barb. Pal. & alii putant, nec indigere absolutione, &c.

Quæ-

Quæres quarto, Quis possit dispensare in ætate ad ordines requisita?

Respondeo, Solum Papam; quia nec concessione universali, nec consuetudine dispensare potest Episcopus, nec Nuncius Apostolicus, ne ad unum quidem diem: D. Anton. Sylv. Sanchez, & alii apud Croix n. 2314. addentem, nunc tamen ex speciali Privilegio Episcopus dispensare ad certum tempus, saltem pro beneficio curato, ubi est necessitas, vel utilitas Ecclesiæ. Causæ autem, quæ afferri debent, ut Papa dispense in ætate ad Presbyterium, sunt, Solatium parentum, dummodo 50. ætatis annos excedant, Doctoratus in Jure Canonico, vel in Sacra Theologia, vel hujus studium triennale: Croix, ex Decr. S. Cong. 1693. 14. Decemb.

§. II.

De temporibus Ordinationum.

SINE dispensatione mortale est ordinare, vel ordinari extra tempora Jure statuta; & sic ordinatus est suspensus, & inhabilis ad alios ordines.

I. Tempora pro ordinibus majoribus sunt sex tantum Sabbata, hoc est quatuor Sabbata quatuor annorum, Sabbatum ante Dominicam Passionis, & Sabbatum Sanctum, ex c. *de eo de Temp. Ordin.* Quod si contingat ob multitudinem Ordinandorum, vel aliam gravem causam non posse absolvi in Sabbato ordines, Sanchez, Henr. Sylv. Ros. Tambur. & alii contra Averfam docent, absolvi posse in Dominica sequenti, sed continuandum jejunium ab ordinante, & ordinandis, ut censeatur manere eadem dies; ideoque addit Pal. Episcopum non posse tunc eidem conferre unum ordinem majorem in Sabbato, alterum in Dominica, quia conferretur eodem die: Croix n. 2291. Semper autem conferuntur in celebratione Missæ, ideoque mane; valide tamen, etsi illicite, extra Missam, cum non deessent essentialia: Sanchez d. 4. contra Sylv. Ang. & alios.

II. Pro Episcopatu est quivis Dies Dominicæ, & non alius dies festivus, ex c. *Quod à Patribus* 71. Sanchez d. 15.

III. Pro

III. Pro Ordin. min. non solum sunt dicta sex Sabba-
ta, verum etiam quivis dies Dominicæ, vel festum de
præcepto; etiam si solum in ea Diœcesi festum cele-
bretur, ut addit Pal. vel etiam si in sola Civitate, ut ad-
dit Tambur.; & quamvis Alex. III. velit, ut dictis
Dominicis, & Festis non conferantur, nisi uni, vel duo-
bus, addit tamen Sanchez, posse etiam pluribus; quia
intentio Pontificis est, ut non appareat ordinatio gene-
ralis. Nota hic, quod, quamvis Pontificale Romanum
dicat, conferri posse *Diebus Dominicis, & Festivis du-
plicibus*; tamen Urban. VIII. in novo Pontificali apud
Lug. l. 1. *Resp. Moral.* d. 34. addit, ultra Dominicam,
Solis diebus festis de præcepto; hinc probabilius per
festum de præcepto intelligitur, non illud, quod opponitur
festo ad libitum, sed quod præcipitur celebrari in foro:
Pal. apud Croix num. 2293. & notat Tambur., si dies
S. Matthiæ incidat in diem cinerum, adhuc posse con-
ferri ordines minores. Ex generali etiam consuetudine
conferri possunt in qualibet vigilia quatuor temporum:
Pal. apud Tambur.; ubi additur, ex consuetudine con-
ferri posse à prandio, quamvis Pontificale dicat de mane
etiam extra Missarum solemniam.

IV. Pro prima Tonsura aptus est quivis dies, & hora
ex Pontificali Romano.

§. III.

De Ordinatione extra tempora.

NEC concessione universali, nec consuetudine datum
est Episcopis, ut possint dispensare in temporibus,
hoc est, ut quis ordinari possit extra tempora jam expli-
cata. Nuncii Apostolici dispensare solent in his, tantum
cum *Arctatis Beneficio*, quod in supplica exprimi debet:
quare, si quis non esset beneficio, sed aliunde arctatus,
v. g. quia in monasterio deessent Sacerdotes, ordinarie
Nuncius non dispensaret, quia in ejus facultate utrum-
que additur, & ut sit sufficienter beneficiatus, & eo
arctatus: Gob.

Ad obtinendum autem à Pontifice facultatem confe-
rendi, seu suscipiendi ordines extra tempora, S. Congr.
jussu Papæ decrevit, concedi posse ex his causis: Pri-
mo, Si arctatus sis beneficio ad Presbyteriam, vel per
teipsum

teipsum inservire possis beneficio, quod obtines, aut Capellanix ad vitam concessæ: Secundo, Ob solatium Patris, vel Matris, dummodo ex dictis excedant 50. ætatis annos, & saltem in Clericatu honeste triennio vixeris: Tertio, Si sis referendarius utriusque signaturæ, familiaris Pontificis, Canonicus Romæ, eorum Coadjutor, Magister, seu etiam Baccalaureus in Theologia, Doctor saltem juris Canonici, seu Licentiatus, dummodo in publica, & approbata Univerfitate: Quarto, Si saltem per triennium Theologiæ sedulo studueris: Quinto, Si triennio in Clericatu honeste vixeris, & excedas 26. ætatis annum. Tum addit, ejusmodi indulgentia non danda impeditis ex delicto, nec infra annum sedis Episcopalis vacantis, nisi arctatis beneficio; nec cogi Episcopos ad eorum executionem, sed relinqui eorum arbitrio, & conscientix; nec concedi ad titulum Patrimonii, nisi juxta Tridentinum; nec unquam concedi pro festivis diebus continuis, sed semper interpolatis aliquo temporis spatio arbitrio Episcopi definiendo; nec demum limites facultatis præscriptos cujusvis consuetudinis, aut exempli prætextu transgrediendos: v. Croix num. 2295.

Est demum privilegium concessum à Gregorio XIII. *Pium, & utile*, ut Religiosi Societatis Jesu possint licite ordinari extra tempora à jure statuta, tribus Dominicis, aut aliis festis diebus etiam continuis, private ad alios Religiosos; non obstantibus, &c. Addit tamen Rodr. & alii multi cum Dian. Pal. apud Croix n. 2304. Religiosis, quibus ante Trident. licuit ordinari extra tempora, etiam nunc licere, cum non censeatur per Tridentinum sublatum hoc eorum privilegium; quam sententiam tutam esse in praxi, dicit Averf. & pro suis Clericis Regularibus Minoribus testatur sæpius, etiam Romæ, in praxi positam: v. Tamb. l. 7. c. 10. in fine.

§. IV.

De Interstitiis.

INTERSTITIA sunt certa temporis intervalla jure statuta inter susceptionem unius, & alterius ordinis; ita ut non solum gradatim ab inferiori ad superiorem, verum etiam interruptim fiat ascensus. Itaque

Quæ-

Quæres primo, An intercedere debeant interstitia inter Tonsuram, & Ostiariatum, & inter hunc, & reliquos minores Ordines?

Respondeo, Tonsuram, & Ostiariatum non admittere necessario interstitia, adeoque suscipi posse eodem die, cum nullo jure sit prohibitum: Doctores communiter. Quoad minores ordines inter se, Trident. *sess. 23. c. 11. de Refor.* requirit *Temporum interstitia (nisi aliud Episcopo expedire magis videretur) ut in unoquoque munere instruantur, & exerceantur, &c.* cum ergo non determinetur intervalli spatium, addatque, *Nisi aliud, &c.* ideo prudenti Episcopi arbitrio remittitur. Hinc, ut prima tonsura, & duo, vel etiam quatuor ordines minores simul, & eodem die suscipiantur, potest Episcopus dispensare ex causa (& sufficere hic qualemcunque, dicit Aversl, apud Tambur.) imo, ubi est consuetudo, possit sine causa, quia huic consuetudini non derogavit Tridentinum: Tambur. *ib.*

Quæres secundo, An, & quæ intercedere debeant interstitia inter ordines minores, & majores, & inter majores inter se?

Respondeo, Ex Trid. *sess. 23. c. 11. cit.* inter minores, & majores debere intercedere annum, *Nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas judicio Episcopi aliud exposcat:* Item annum inter Subdiaconatum, & Diaconatum; *Nisi aliud Episcopo videatur, ex c. 13.* Item annum integrum inter Diaconatum, & Presbyteratum, *Nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videatur, ex c. 14.* Annus hic ex communi sententia est Ecclesiasticus, v. g. à Sabbato quatuor temporum Quadragesimæ ad idem Sabbatum Quadragesimæ sequentis anni, quamvis non intercesserint 12. menses integri: Potest etiam intelligi annus naturalis, ideoque, si intercesserint 12. menses, quamvis annus Ecclesiasticus non finierit, adhuc poteris ordinari: Pasqual. apud Tamb.; apud quem tamen non probatur, quod ille addit ex quodam Responso Pontificis, satis scilicet esse, si intercesserint quatuor intervalla temporum, ideoque ordinatum Sabbato Sancto posse anno sequenti ordinari Sabbato quatuor Temporum Quadragesimæ, cujus appendix tantum, & complementum est Sabbatum Sanctum. Demum inter Sacerdotium, & Episcopatum de jure communi
R.P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III. Q nul-

nulla est necessitas, ut intercedat dies; ideoque Pal. Gob. Sanch. putant, posse suscipi eodem die Dominico; sed melius negant Suar. Barb. Avers. & alii, quia eodem die bis celebraret: Croix n. 2296.

Quæres tertio, Sub qua culpa, & poena servanda sint interstitia?

Respondeo, Qui (præcisa Dispensatione, Privilegio, vel consuetudine) suscipit ordinem non servatis interstitiis, peccare graviter; quamvis nullam incurrat suspensionem, aut irregularitatem, utpote nullibi statutam: Doctores communiter. Qui autem eodem die susciperet duos ordines majores, est suspensus ipso facto ab exercitio saltem ordinis ultimo suscepti, & reservatur Papæ, ex cap. *Litteras, de Temp. ordin.* imo secundum Pal. etiam utriusque, si faceret incisco ordinante, quia tunc furtive ageret. Quod si seriem non servet, v. g. si fiat Diaconus, antequam sit Subdiaconus, ex dictis manet suspensus; quia per saltam ordinatur: Pal. Croix n. 2302. ex c. *Un. de Cl. prom, per salt.* Denique veniale tantum est suscipere tonsuram, & ordines sine prævia Confirmatione: Croix.

Quæres quarto, Quis dispensare possit in Interstitiis?

Respondeo, Posse Episcopum ex Trid. cit. & quidem Episcopum proprium, sive sit originis, sive beneficii, sive domicilii. De Episcopo familiaris triennalis negat Pal. affirmat Avers. uterque probabiliter; sed hic probabilius apud Tamb. §. 2. Capitulum autem sede vacante tunc solum potest in his dispensare, cum potest dimissorias concedere: Tamb. Qui ergo ab his accepit dimissorias ad alienum, non potest ordinari ab eo non servatis interstitiis, nisi in dimissoriis addatur, *Etiam non servatis interstitiis*; quia ordinat ex commissione, & tanquam delegatus: Sanch. & alii communiter ex declaratione S. Congr. apud Croix n. 2299. Similiter, si hic alter Episcopus haberet facultatem ordinandi suos extra tempora, & non servatis interstitiis, non ideo posset hunc dimissum; quia, quamvis hic ei subjiatur quantum ad actum ordinationis, non tamen ad alium effectum dispensationis, vel jurisdictionis; Croix ibid. Nuntii Apostolici, & Legati à latere communiter dispensare solent in temporibus, & interstitiis, cum arctatis beneficio; quod in supplica exprimi debet. Nota de-

mun,

num, solum Papam dispensare, ut eodem die plures ordines majores suscipiantur, ex Trid. c. 15.

Quæres quinto, Quæ sint causæ dispensandi in interstitiis, & quomodo intelligenda verba dispensationis?

Respondeo: Primo, Sufficere qualemcunque causam, imo, ubi est consuetudo, etiam nullam, ut tonsura, & ordines minores simul, & eodem die suscipiantur. Secundo, Ut Acolythatus, & Subdiaconatus eodem die conferantur (in quo etiam posse dispensare Episcopum, docent Sanch. d. 55. & 56. & alii) requiritur *Necessitas, aut Ecclesiæ utilitas*, ex Trid. cit. Tertio, Ut duo ordines majores eodem die suscipiantur, Episcopus dispensare nequit, sed tantum in interstitiis annuis, & quidem cum causa, quam certe requirit quævis dispensatio proportionatam; minorem vero inter Subdiaconatum, & Diaconatum; majorem inter Diaconatum, & Sacerdotium, quia ibi Trid. tantum dicit: *Nisi aliud Episcopo videatur*; hic vero *ob Ecclesiæ utilitatem, ac necessitatem*. Itaque pro dispensatione interstitii inter Diaconatum, & Presbyteratum requiritur copulative necessitas, & utilitas Ecclesiæ, adeoque non sufficit sola utilitas: inter Subdiaconatum, & Diaconatum non requiritur necessitas, vel utilitas Ecclesiæ, sed sufficit quævis rationabilis causa arbitrio Episcopi; inter Minores, & Subdiaconatum requiritur disjunctive, vel necessitas, vel utilitas Ecclesiæ.

Necessitas autem hic accipitur moraliter, & cum aliqua latitudine, ut si desint Ecclesiæ Ministri; vel si habeas Beneficium, vel Capellaniam, cui debeas inservire, cum minus decens sit officium præstari per interpositam personam. Utilitas autem, si pauci sint boni Ministri, sive in tota Civitate, sive in aliqua peculiari Ecclesia; vel si tibi sint magnæ litteræ, aut virtus insignis; vel præsumeris aptius inservire Ecclesiæ, vel si vaces studiis in aliqua Universitate, ut scilicet media celebratione missarum te ibi sustentare possis: v. Tamb. §. 2. ap. Croix n. 2297. ubi etiam addit; causas sufficientes pro dispensatione extra tempora multo magis sufficere pro dispensatione in solis interstitiis. Nota denique, quod si dispensatio dicat, *Ad tres ordines majores tribus diebus festivis accipiendos non servatis Interstitiis*, intelligendum de tribus diebus festivis, non continuis, sed

interpolatis aliquo die feriali; probabile tamen est, sufficere festum duplex, etsi non celebretur in foro, sed choro tantum, & ad libitum.

Quæres sexto, An Superiores Regulares dispensare cum suis subditis possint in interstitiis; & quinam habeant in his Privilegium Papæ?

Respondeo, Bonac. Vasq. Henr. Lessius & alios cum Dian. negare ex declarat. quadam S. Congr. Econtra vero Suarez, Sanchez, Pasq. & alios affirmare, cum nomine Episcopi in Tridentino cit. veniant etiam, qui habentes jurisdictionem quasi Episcopalem tribuunt dimissorias suis subditis: utrique probabiliter apud Tambur. cit.; etsi moneat Suarez, ex modestia Religiosorum fieri, ut Superiores in suis dimissoriis rogent Episcopos; ut in his dispensent cum suis Religiosis: causam autem dispensandi requirendam à Superioribus, cum ipsi norint necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ suæ, ut addit Tambur. Ex privilegio autem Pontificio Religiosi Societatis Jesu ordinari possunt extra tempora statuta, & non servatis interstitiis, etiam tribus diebus festis continuis. Requiritur tamen licentia Provincialis, ut dispensentur in interstitiis; Generalis vero, ut dispensentur in ordinatione extra tempora; *ex Comp. Privil. v. Ordines.* Cæteri Religiosi suam praxim, & privilegia consulant.

§. V

De Loco, & reliquis Circumstantiis Ordinationis.

QUÆRES primo, An possit licite Episcopus ordinare extra suam Diocesim?

Respondeo, Trident. *sess. 6. c. 5. de Ref.* sub poena suspensionis ab exercitio Pontificalium prohibere, *Pontificalia in alterius Diocesi exercere*; intellige, sine licentia Ordinarii illius diocesis. Hinc, quamvis Azor. Henr. & alii cum Busemb. putent, posse Episcopum etiam in aliena diocesi absque speciali licentia conferre suo subdito primam tonsuram, utpote quæ non est ordo; tamen melius contradicunt Barb. Averl. Sanch. d. 50. quia tonsurare est actio Pontificalis: Croix n. 2305. Similiter nec Abbas potest extra suum monasterium tonsuram suis conferre. Contra vero quivis Episcopus, etiam titularis, si licentiam habeat

habeat ab Ordinario loci exercendi ibi Pontificalia, potest ibidem ordinare quoscunque sive suos, sive non suos ad se tamen dimissos: Croix n. 2188.; qui n. 2246. ex Led. Dian. contra Gutt. Rodr. Sanch. idem probabiliter ait, etiamsi dimissoriae dicant, *A quovis Episcopo in sua dioecesi residente, seu ordinante*; quia, quod fit ex mandato, vel licentia Residentis, censetur fieri à Residente. Addit demum n. 2189. quod Episcopus ex licentia Ordinarii ordinans in aliena dioecesi, si ordinet ejus subditos, deberet sequi ejus statuta quoad ordinandos; secus vero, si suos, vel alienos ad se dimissos, quibus sufficit, si habeant requisita illius dioecesis, unde sunt dimissi.

Quæres secundo, An licite possit Episcopus ordinare extra Ecclesiam?

Respondeo, Tonsuram, & Ordines minores conferre posse etiam extra Ecclesiam in quovis loco decenti. Pro aliis sic statuit Trid. *sess. 23. c. 8. de Ref. Ordinationes Sacrorum Ordinum in Cathedrali Ecclesia ... publice celebrentur: Si autem in alio Dioecesis loco ... dignior, quantum fieri potest, Ecclesia semper aseatur.* Itaque nequit Episcopus in quavis Ecclesia suæ Dioecesis eos conferre, sed vel in Cathedrali præsentibus Canonicis, vel in Ecclesia digniori alterius loci Dioecesis præsentibus illius loci Clero: Sanch. dub. 50. n. 3.

Quæres tertio, Quæ sint reliquæ circumstantiæ?

Respondeo: Primo, Ante ordinationem debent ex Trid. fieri publicæ proclamationes ordinandi, & item hunc alicui Ecclesie, aut pio loco adscribi, ubi suis fungatur muneribus; *Et, si locum inconsulto Episcopo deseruerit, ei Sacrorum exercitium interdicitur*, quam pœnam vides esse ferendæ sententiæ, & passim ab Episcopis dissimulari: Croix n. 2317. Item secundum Pontificale Romanum apparatus ordinandorum est hic: Tonsurandus habere debeat suum superpelliceum super brachium sinistrum, & candelam in manu dextera: Minorandus indutus superpelliceo cum candela in manu: Subdiaconandus indutus amictu, non tamen super caput, alba, & cingulo, manipulo in manu sinistra cum tunicella in ejus brachio, candela in manu dextera: Diaconandus, amictu alba, cingulo, & manipulo paratus, stolam in sinistra manu, eandem in dextera, dalmaticam supra brachium

finistrum tenet: Presbyterandus, amictu, alba, cingulo, stola, & manipulo paratus, tenet planetam super brachium finistrum complicatam, & in dextera candelam, insuper mappam albam pro ligandis manibus: Secundo: In ipsa ordinatione Ordinans, & Ordinandus ante Sacros Ordines debent esse jejuni (illo tamen die, non pridie) cum communicare debeant ex dictis c. 1. §. 4. Ad Minores Ordines, & ad Tonsuram non requiritur jejunium, cum sæpe conferatur post prandium. Illud non omittendum, quod Presbyterandus, cum ex Ritu, & Consuetudine Ecclesiæ consecretur cum Episcopo (ut ex Decr. Inn. III. ostendit Mendo contra Dur. Sot. & alios) ideo curare debet, ut verba consecrationis absolvat simul cum Episcopo, nec ante, nec post; unde habere debet hanc rationem, *Si verba absolvero simul cum Episcopo, volo consecrare, alias non*: Suar. Avers. & alii: sufficit etiam, si velit facere, quod ibi vult fieri Ecclesia, aut meliori modo, quo potest. Docent tamen Gob. & alii contra alios, non esse obligationem saltem gravem consecrandi cum Episcopo. cum nulla lex graviter obligans ostendi possit: Croix n. 2322., qui addit, quod, etsi possit eam missam offerre pro alio, non tamen videtur pro ea accipere posse stipendium, cum sæpe dubium sit, an ipse consecret. Tertio, de Nocturno dicendo post ordinationem, vide dicta c. 1. §. 4. & de Missa etiam ab Episcopo tunc Sacerdotibus impositis, v. supra de Missæ Sacrif. c. 4. §. 3.

CAPUT V.

De Titulo Ordinandorum.

UT quis licite ordinetur in Sacris, requiritur ex jure communi Titulus, vel Beneficii, vel Patrimonii, seu Pensionis, vel Paupertatis Religiosæ: Idque, etiam si quis ordinetur ab Episcopo ratione servitutis triennialis, ut docent Barbof. & alii contra Vasq. apud Pal. p. 15. n. 6. Imo alteruter ex prioribus titulis in Provincia Neapolitana requiritur etiam ad primam tonsuram, & ordines minores. Si autem modicum desit summæ ad titulum requisitæ, curandum non est, ait Sanch. ap. Croix n. 2276.

§. I.

§. I.

De Titulo Beneficii.

TRIDENT. *sess. 21. c. 2. de Reform.* statuit: *Ne quis deinceps Clericus Secularis ad Sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere.*

Si ergo beneficium non sit sufficiens (deductis oneribus) ad victum honestum, seu congruum qualitati, si minus personæ, certe status sacri, non potes licite ordinari; ita ut nequeat dispensare Episcopus: Croix num. 2287. An autem suppleri possit defectus talis beneficii per adjectionem patrimonii? est distinguendum; nam Ordinarius potest cum suo Subdito facere combinationem tituli ex beneficio, & patrimonio, ut habet praxis apud omnes; at Bull. Inn. XIII. *Speculatores* prohibet, id fieri posse ab Episcopo cum non subdito, nisi ratione talis beneficii in ejus diocesi acquisiti: Croix num 2280. Hinc, si Neapolitanus origine habeat beneficium tenue in Diocesi Nolana, & ad conflandum titulum adjiciat partem patrimonii, quod habet in Diocesi Capuana, hic titulus potest per se loquendo approbari ab Ordinario Neapolitano, vel Nolano, non autem Capuano; praxis tamen habet, ut Capuæ fiat instrumentum de ea parte, & tum Neapoli approbetur in titulum: Croix num. 2281.

Quæres primo, An beneficium, ut sit titulus sufficiens, debeat actu pacifice possideri?

Respondeo affirmative: Ex verbis Trid. cit. Hinc non sufficit, te esse Nominatum, Præsentatum, Postulatum, seu Electum, seu spem certam illius habere, quia non actu possides: Doctores communiter contra Sayr. Major. & Gloss. quorum sententiam, stante Trident. cit. non censet Pal. posse sustineri; quamvis apud Croix n. 2273. secundum eam procedant communiter Episcopi, si sincere putetur, quod non sit impedienda possessio. Debet insuper talis possessio esse pacifica, ex Trid. cit. alias non haberes titulum certum; quare, si super eo mota sit lis, sive de jure, sive de facto, non poteris ea durante ordinari: nisi vero lis mota sit super aliqua tantum parte fructuum, ita ut reliqua sufficiat

ad honestam sustentationem, ut bene limitat Barb. apud Pal. t. 27. d. 27. p. 10. n. 8. At quid, si lis mota sit non supra proprietatem beneficii, sed supra possessionem? Rebus. Menoch. & alii putant, te posse ordinari, quia sic non censetur beneficium litigiosum; sed negant Barb. Pal. & alii communius, quia pacifica possessio requisita à Trid. non de proprietate, sed de possessione ipsa videtur debere intelligi; & insuper iudicium petitorum semper imitatur possessorium, ex *cap. Significaverunt, de Testibus*. Illud certum, beneficium actu pacifice possessum sufficere, etsi primo anno non percipias fructus, vel non nisi cum ascenderis ad Presbyteratum, ut ex *Sacr. Congr. docet Garz. apud Pal. n. 6.*

Quæres secundo, Quid veniat hic nomine beneficii?

Respondeo: Venire jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ propter officium spirituale auctoritate Ecclesiæ constitutum, ex *cap. Relatum, de Præb. & quidem debet esse perpetuum, non solum in persona provisa (cujusmodi est etiam pensio. de qua §. 2.) sed etiam in seipso, ita ut nunquam possit extinguui, sed tantum vacare. Hinc non potes licite ordinari ad titulum Cappellanæ manualis, vel Vicariæ temporalis, quia removeri potes ad arbitrium dantis: Doctores communiter contra Gonzal. & alios apud Croix num. 2269. putantes, posse, si ab ea nemo soleat removeri, nisi concessa alia provisione; sed immerito imponitur hoc onus patrono: Pal. c. 4. Neque dicas, etiam beneficiatum removeri jure posse à beneficio ob crimen enorme; nam id oritur præcipue ex ejus libertate, qua vult delinquere, & non ex arbitrio alterius: Croix ibid. Item nequis licite ordinari ad titulum coadjutoriae cum futura successione, quia potest proprietarius supervivere. adeoque spem solam habes, eamque incertam: Doctores communiter contra Nav. Sanch. & alios: quorum sententiam tunc solum approbant Garz. Pal. & alii communiter, cum pars sustentationis tibi in perpetuum titulum sit assignata; sic enim potes ordinari ad titulum pensionis.*

Quæres tertio, An beneficium, cujus titulo es ordinatus, possis deinde resignare? &c.

Respondeo Trid. cit. ita statuere: *Id vero beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus; neque ea resignatio admittatur.*
nisi

nisi confitito, quod aliunde vivere commode possit: aliter facta resignatio nulla est. Itaque tunc solum poteris licite & valide resignare, cum adest ea duplex conditio, & quod mentionem facias, &c. & quod aliunde habeas, &c. Si autem resignes sub pensione sufficienti ad honestam sustentationem, Nav. Rodr. & alii putant, non opus esse fieri mentionem, &c. quia non est plena resignatio, & aliunde satisfacis intentioni Trid. ne scilicet mendicare, cogaris: sed oppositum dicendum cum Pal. num. 10. & aliis communius; quia intentio Tridentini est, ut id, unde vivere commode possis, vinculetur eisdem conditionibus Tituli, ac erat Beneficium, cui non satisfacit, si mentio non fiat, &c. Croix num. 2286. Idem docent Pal. & alii communiter de permutatione cum alio beneficio: qua in re non censetur legitima opposita decisio S. Congr. ap. Barbof. Idem de hypotheca, seu obligatione fructuum beneficii, vel in subsidium aliorum bonorum, quia hypotheca est quædam virtualis alienatio, Arg. l. ult. C. de reb. non alienand.

An autem vacet tibi tale beneficium, si contra dictam Tridentini formam resignaveris? Distinguendum est cum Pal. n. 10. & aliis: & negandum, si aliunde habeas honestam sustentationem, quia nullibi hæc vacatio cauta est in tali casu; affirmandum vero, si aliunde non habeas honestam sustentationem, quia sic Ordinarius resignationem admittens tenetur tibi alimenta præstare, & beneficium illud remanet providendum à Superiore, ex Bull. Pii V. & Decr. S. Congr. ap. Pal. n. 12. Hinc, si post Subdiaconatum contra Trid. formam resignaveris, poteris super eodem titulo promoveri ad Superiores ordines in primo casu: secus vero in secundo: Croix ibid.

§. II.

De Titulo Patrimonii, seu Pensionis.

TRID. cit. addit: *Patrimonium vero, vel pensionem continentem, ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate suarum Ecclesiarum; Eo quoque prospecto, patrimonium illud, vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint.* Hinc, quamvis Episcopus teneatur ordinare eum, qui habet

titulum beneficii de se sufficientis; non tamen eum, qui accedit cum titulo patrimonii, vel pensionis, etiamsi in supplementum defectus Beneficii insufficientis; nisi necessitati, vel commoditati suarum Ecclesiarum iudicaverit expedire: Pal. p. II. n. I.

Quæres primo, Qualis debeat esse pensio, ut possit quis eo titulo ordinari?

Respondeo, Debere esse sufficientem ad honestam sustentationem, & insuper perpetuam ad vitam ipsius ordinandi. Hinc non sufficit assignatio mensuræ Episcopalis, ex Declar. S. Congr. apud Croix num. 2271, quia onus alendi ordinatum non potest imponi successori; addit tamen Croix, sufficere, si consentiat Capitulum, quod censetur facere, si sciat, & non contradicat; v. ibidem: similiter sufficit titulus alicui erectus à Monasteriis, vel Collegiatis, si adsit consensus Capituli, nec tunc requiritur hypothecca specialis, cum bona Ecclesiarum nequeant regulariter alienari: Engel. apud Croix n. 2270. Contra vero non sufficiunt Pitantiæ, aliave emolumenta, quæ exercitio suorum ordinum habere quis posset, quia per infirmitatem, vel aliam causam involuntariam impediri omnino ab iis posset; idque, etiamsi Episcopus se obliget supplere, quidquid postea defecerit, quia potest præmori ordinato: Pal. p. 10. n. 3. Idem à fortiori dicendum cum communi contra Henr. Avil. & alios de emolumentis ratione Doctoratus, Theologiæ, Scholæ, Musicae, ex Decr. S. Congr. apud Croix n. 2275.

Quæres secundo, Quale debeat esse patrimonium, ut possit quis eo titulo ordinari?

Respondeo, Debere esse aliquid stabile, puta agros, domus, emptiones super arrendamenta, census, bancos, & similia, juxta constitutiones synodales; ideoque non esse quid Ecclesiasticum, quamvis gaudeat privilegio fori Ecclesiastici, quamdiu est titulus ordinati. Census etiam redimibiles censentur immobiles, si adhibeatur ea cautio, ut, si redimantur, pecunia ex Judicis decerto deponatur apud idoneas personas, ut iterum constituatur census: Pal. p. II. num. 9. & alii contra Bonac. & alios. Porro titulus patrimonii debet ordinarie assignari cum obligatione reali, & hypothecca, ita ut transeat cum se ad quamcunque personam jure ordinario hypotheccæ: Croix num. 2270., ideoque ordinarie cavetur, ne obligatio

obligatio fiat tantum bonorum in genere, sed fiat in specie, & per instrumentum assignationis cum iudicio Episcopi de ejus sufficientia; quare non satis est, si fiat in solis syngraphis, vel instrumentis per notarium tantum, & testes subscriptis: v. Croix num. 2279. Hinc, si Titius accipiens titulum patrimonii à Communitate obligante tantum in communi sua bona, & metuens, ne rejiciatur ab Ordinario, curet in instrumento assignationis exprimi hypothecam, etiam specialem, in scia Communitate, illicitè ascendit ad ordines; nisi vero Ordinarius soleat admittere hypothecam tantum generalem: v. Croix num. 2285. præmittit tamen num. 2272. ex Jord. & aliis, mentem Trident. esse, patrimonium constitui debere super aliquid certum, determinatum, & irrevocabile: subdit demum ib. ex Barb., quod, si urgeat penuria Sacerdotum, sufficiat ad titulum, si quis etiam privatus promittat, se subministraturum omnia Ordinando, quia minus videtur hoc damnum, quam illud. Denique pro titulo patrimonii non sufficit, quod filius certo expectet legitimam pinguem à patre, quia eam non actu pacifice possidet. Si tamen pater sit dives, potest filius eum adstringere, ut sibi patrimonium irrevocabiliter assignet pro titulo: Pal. à n. 2. Hoc autem assignatum negant multi debere computari in legitimam, cum sit veluti donatum filio ad sustentationem quotidianam; sed verius affirmant Pal. ib. Mol., Garz., & alii, quia bona talia non alienantur, sed redeunt ad hæredes; ergo censentur esse legitima.

Quæres tertio, An possis alienare patrimonium, seu pensionem, cujus titulo es ordinatus?

Respondeo, Trid. cit. ita subdere: *Atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extinguui, vel remitti nullatenus possint, donec Beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint. Antiquorum Canonum pœnas super his innovando.* Hinc absque licentia Episcopi nullatenus potes patrimonium, vel pensionem vendere, permutare, hypothecare, transigere, dividere, dare in solutum, &c., quia hæc omnia alienationes reputantur: Pal. p. II. num. 9. & alii. An autem sint non solum illicitæ, sed etiam invalidæ ejusmodi alienationes factæ absque licentia Episcopi? Distinguendum est: si enim fiant, antequam habeas, unde stabiliter vivere possis, jure communi probabi-

babilius sunt nullæ; quia, quamvis Trid. non apposuerit hic clausulam expresse irritantem, ut in resignatione beneficii, tamen apposuit illam virtualiter sub illo adverbio *nullatenus* possint. quod omnem potentiam tollit: Pal. & alii communius contra Suar. Ledesm. & alios: si autem fiant ab habente, unde commode vivat, probabilius, & communius sunt validæ jure communi, quia licentia Episcopi requiritur *donec*, &c. ergo, si habeas aliunde, non videtur ex Trid. requiri ad valorem; requiritur tamen, ut actus sit licitus, ad erigendum scilicet novum titulum, & Jure Synod. hujus Provinciæ Neapolitanæ in utroque casu requiritur, ut actus sit validus. Episcopus autem dans hanc licentiam est Ordinarius domicili, vel loci, ubi patrimonium situm est, vel originis, sicut ad ordines: Pal. num. 13.

Quæres quarto, An, si accepisti patrimonium ad ordines sub pacto, & conditione, ut donanti reddas totum, aut partem, vel eo non utaris, &c. tenearis hanc conditionem implere?

Respondeo, Circa hoc punctum nihil disponere Jus speciale Synod. Neapolitanæ. Loquendo ergo de jure communi, dico cum distinctione: si enim tibi detur patrimonium sub obligatione reddendi, &c., cum beneficium sufficiens fueris adeptus, vel aliunde habeas, unde vivas, teneris conditionem implere; quia in eo casu nulla tibi obligatio imponitur jure communi irrita: Garz. Pal. num. 16. & alii; idemque est de pacto reddendi illud post mortem: Croix num. 2283. Si autem detur tibi patrimonium sub obligatione, &c., tamen nec beneficium, nec aliud habeas, unde vivas, Nav., Henr., Rodr., Tol., & alii docent, susceptis ordinibus, pactum illud evadere nullum, utpote in præjudicium Episcopi, & Ecclesiæ. Avil., Suar., Sanch., & alii multi docent, esse validum, quia res non fuit absolute donata, sed ad summum accommodata pro aliquo tempore, nec poterat ejus dominium acquirere, nisi pro voluntate donantis. Pal. num. 15. melius distinguit, tripliciter posse constitui tale patrimonium sicutum: Primo, Sub pacto, & conditione, ne donatum petas, neve illo utaris; ideoque verbotenus, & absque intentione donandi: Secundo, Sub intentione donandi, sed pro limitato tempore, adeoque proprie commodandi; Tertio, Sub intentione quidem absolute donandi, sed

sub

sub onere retrodonandi: Primo, & secundo modo valet secunda sententia: tertio modo valet prima sententia; in foro tamen externo rescindenda est illa retrodonatio in pœnam Donatoris intendentis decipere Episcopum, & Ecclesiam: v. Pal. cit.

§. III.

De Titulo Paupertatis Religiosa.

SOLI Religiosi professi, ex Bul. Pii V. *Romanus*, & Religiosi Societatis Jesu post vota simplicia biennii novitiatus ex Bul. Greg. XIII. *Ascendente*, promoveri possunt ad Sacros Ordines titulo Paupertatis valide jam votæ Deo, & perpetuo ex se duraturæ.

Hinc Novitii non possunt licite ascendere ad Sacros Ordines, nisi titulo beneficii, aut patrimonii, vel pensionis; quia secus ordinarentur absque ullo titulo. Possunt tamen licite suscipere primam tonsuram, & ordines minores; quia ad hæc jure communi non requiritur titulus, & illi gaudent privilegio exemptionis à jure speciali Synodali. - Quod autem S. Greg. l. 8. ep. 23. *de admisis ad Religionem*; dicit: *Nulla modo audeant tonsurare, priusquam biennium in conversione compleant*; sensus est, quod, ubi consuetudo est biennii pro novitiatu, non debeant ante hoc completum admitti ad tonsuram Monachalem: Sanch. l. 6. *Decal.* c. 10. num. 19.

Invalide autem professi ob aliquod impedimentum, &c. Neque possunt licite ascendere ad Sacros Ordines titulo paupertatis, ut docent omnes ex *eadem Bull. Pii V.* Item ejecti, si ve erant in Sacris titulo paupertatis, si ve quovis alio titulo, manent perpetuo suspensi, & à solo Pontifice relaxandi, ex *Decr. S. Congr.* apud Donat. t. I. p. 2. Religiosi autem dimissi è Societate, si ordinati erant titulo paupertatis, quamvis possint in suscepto Ordine ministrare, non tamen possunt ad Superiores Ordines ascendere sine novo titulo beneficii, vel patrimonii, seu pensionis; nec Societas tenetur eos alere, &c., uti nec Episcopus tenetur alere Sacerdotem à se ordinatum titulo beneficii, si ob aliquod crimen jure eo privetur: Croix num. 2288.

§. IV.

De pœnis Ordinationis absque titulo.

VIDENDUM primo, De pœnis jure communi: Secundo, De pœnis jure speciali.

Jure communi, in Concil. Calcedon. relato in cap. *Neminem*, & in Concil. Placent. relato in cap. *Sanctorum d. 70.* irrita (hoc est suspensa ab exercitio) erat ordinatio absque titulo. Deinde ab Alex. III. in cap. *Episcopus*, & ab Innoc. III. in cap. *Cum secundum, de Præben.*, sublata hac pœna statutum fuit, ut Episcopus ita ordinans teneatur alere ordinatum, donec ei provideat de beneficio, nisi is habeat, unde commode vivat; quam legem Bonifacius VIII. in cap. *Si Episcopus, de Præb. in 6.*, explicans definit, ut intelligatur de ordinatione per commissionem. ita ut, si Episcopus committens signavit ordinandos, teneatur ipse alere; si vero non signavit, teneatur Episcopus, cui fit commissio. Denique Trid. sæpe hic cit. statuit, quæ jam §§. ant. diximus, in quorum fine addit: *Antiquorum Canonum pœnas super his innovando.*

Quæres primo, Quas pœnas incurrat Episcopus culpabiliter ordinans aliquem absque titulo?

Respondeo, Incurrere obligationem providendi ordinato de beneficio sufficienti, & interim omnia necessaria subministrandi, ex cap. *Episc.*, & cap. *Cum secundum* cit. quod aliqui cum Flam. extendunt, etiam si ordinatus patrem habeat divitem; sed rectius Barb. Pal. pag. 12. num. 1. negant, quia sic absolute non eget, cum jure naturæ debeantur ei alimenta paterna, & bona Ecclesiæ solum debeantur in subsidium egenorum, ex cap. *Clericos 1. q. 2.* Si autem inter Ordinantem, & Ordinatam intercesserit pactum, ut is illum non sit molestaturus super beneficio, & alimentis debitis, ordinans suspenditur triennio à collatione ordinum, cap. pen. *de Sim.*

Quæres secundo: Quas pœnas jure communi incurrat ordinatus absque titulo?

Respondeo cum distinctione: Si enim pactus sit cum ordinante, vel præsentante, de non petenda congrua sustentatione sibi debita, suspenditur ab exercitio ordinis
sic

sic suscepti, cap. *Per tuas*, & cap. pen. *de Sim.* Si id pactus non fit, Sa, Tol., Henr., Tamb., & alii putant, non incurrere suspensionem, quia hæc pœna lata jam cap. *Neminem*, & cap. *Sanctorum* cit. sublata fuit cap. *Episcopus*, & cap. *Cum secundum* cit., nec videtur à Trid. cit. restituta, cum ejus expressam mentionem non fecerit: sed rectius contradicunt Suar., Barb. Pal. Bon. & alii; quia Trid. cit. non solum pœnam, sed pœnas antiquorum canonum innovat, & in cap. *Episc.*, & cap. *Cum secundum*, una tantum pœna adversus ordinantem infligitur; ergo dicendum, innovari etiam pœnam adversus ordinatum statutam cap. *Neminem*, & cap. *Sanctorum*. Idem docent Suar., Laym., Bonac., Sanch., & alii plures contra Pal., & alios, si orderis titulo ficto, ita ut solus tu, & non ordinans peccet, quia cap. *Neminem*, & cap. *Sanctorum* cit. imponitur suspensio ordinatis sine titulo, sive scienter, sive ignoranter, cum ergo titulus fictus sit nullus, sequitur, &c.

Quæres tertio, Quas pœnas jure speciali incurrat, qui ordinatur absque titulo, vel titulo ficto?

Respondeo, Novitios, si ordinentur in Sacris titulo paupertatis, incurrere suspensionem; & si in ordine sic suscepto ministrent, irregularitatem, ex *Bull. Pii V.* cit. Idemque est, si sic ordinetur in Sacris, qui emisit professionem invalidam: item Professus, si ejiciatur è Religione, manet perpetuo suspensus: Secundo, Ultramontani omnes, vel nati extra Italiam, si ordinentur intra Italiam cum patrimonio ficto, suspensionem perpetuam incurrunt, non nisi à Pontifice relaxandam, ex *Bul. Urb. VIII. Secretis*: Tertio, In Synod. Neapol. statuta est suspensio ipso facto à susceptis contra eos, qui falsum, fictum, aut fiduciarium patrimonium ad ordines suscipiendos subjecerint: item contra eos, qui patrimonium, aut beneficium, cujus titulo sunt ordinati, alienaverint, aut resignaverint, non subrogato alio sufficienti patrimonio, vel beneficio facultate Ordinarii: & in *Tabell.* additur, ex dicendis infra, reservatio casus cum excomm. in Clericos exhibentes ejusmodi patrimonium, non absolvendos, nisi constituto reali patrimonio, & causa discussa: item contra constituentes, aut consulentes, aut quomodolibet cooperantes ad ejusmodi patrimonium quomodocunque fraudulentum, etiam ad primam tonsuram præsentandum.

Quæ

Quæres quarto, Quodnam dicatur patrimonium falsum; fictum, aut fiduciarium?

Respondeo, Dici falsum, seu fictum, cum bona assignata revera non sunt, vel non sunt propria ordinandi, sive in totum, sive quoad partem notabilem: fiduciarium autem dici, cum bona possidentur cum prævio pacto non exigendi fructus annuos, vel retrodonandi, vel quomodolibet retrocedendi, sive in totum, sive quoad partem notabilem, ante obitum provisi. Hoc autem confingere, præsentare, &c., mortale est ex toto genere: idemque est, si patrimonium, seu pensionem, cuius titulo es ordinatus, vendas, permutes, &c. v. Tamb. l. 7. c. 7. §. 4.

Hucusque de V. Tractatu Theologico-Morali dicta sint satis.



TRA